quæ ſuos ſequatur authores, nec vlterius progrediatur metus, quàm reperitur delictum; heredes tamèn ex defuncti crimine, in quantum ad eos peruenit, conſtat teneri ex d. l. vnic. C. ex del. def. l. 3. C. ſi reus, vel accuſ. mort. fuer. & l. 3. C. ſi pend. appell. Et ideò quod ad hunc effectum pertinet, vocat conſultus in d. l. Caius, cauſam illam pecuniariam. † Neq;
22 obſtant d. l. fin. D. de fer. cum ſimilibus ſup. adductis: nam licet vbi ſimul fit mentio cauſæ criminalis, & pecuniariæ, ciuilem per pecuniariam intelligamus, hoc ideò procedit qui in vna eadéq; diſpoſitione fit mentio, vt ita diſtinguatur à criminali, de qua etiam ibi tractatur: ſed vbi abſolutè, & per ſe fit mentio de cauſa pecuniaria, non eſt neceſsè intelligere iudiciũ eſſe ciuile; ſed iuxta ſubiectam materiam poteſt aliquandò intelligi criminale ciuilitèr propoſitum, ſi de crimine agatur ad vtilitatèm partis, pœnamq; eidem applicandam; vel etiam criminale motum criminaliter (vt ita loquamur) ſi pœna ſit fiſco ſoluenda in l. fin. D. de priu. delict. Quo pacto ſuperior iudiciorum diſtinctio cum communi videtur ſuſtinenda.
23 Tribus inſpectionibus abſolutis, ad quartam deſcendere opus eſt, qua quærimus, quæ iudiciorum ſit forma, & quotuplex ſit iudicium ſecundum formam. Sed vt nihil antiquitatis penitus ignoretur, cognitione dignum exiſtimo. Prætores iure antiquo populi Romani primùm ex edictis, quæ in annum proponebantur, deindè ex edicti perpetui forma, quam reſtituit lege lata Cornelius, & in ordinem collegit tem-

pore

pore Adriani Saluus Iulianus, vt obseruat Const. Land. lib. vnic. enarr. c. 4. iusdicere, hoc est, formas, actionum, exceptionumq; litigantibus præstare, ac Iudices ipsis dare solitos fuisse; quorum sententiam Prætores exequebantur, in l. à Diuo Pio, 15. D. de re iud. Ipsi enim tatùmodo extra ordinē iudicabant, in l. 1. cum seq. D. de var. & extr. cogn. Ea potissimum ratione, nam cum ab eorum nutu penderent formulę, quasdam sibi reseruarunt causas, in quibus ipsi sine aliqua formula procedebant. Vndè apparet, olím in omnibus iudicijs, exceptis ijs, in quibus extra ordinem procedebatur, formulas impetrare, necessarium fuisse, vt animaduertūt Eguin. Baro, & Hugo Donell. num. 11. in §. actionum, in ff. de action. & recentiores ad l. in actionibus, de in lit. iur. Carol. Sigon. de antiq. iure Pop. Rom. lib. 2. c. 18. & omnium optimè Brisson. in luculento tractatu de formul. Quod adeò in viridi erat obseruantia, vt qui à syllaba cadebat, à causa caderet, hoc est à iudicij instantia; ac durauit, quousq; iuris formulas aucupatione syllabarum insidiantes cunctorum actibus radicitùs amputauit Constant. in l. 1. C. de form. & imp. act. sub. & ab Imperat. Theod. & Valent. fuit sancitum, vt nulli prorsus non impetratæ actionis in maiori, vel minori iudicio agenti opponeretur exceptio, in l. 2. C. eod. tit. Quod iure nostro Pontificio planiùs procedit ex c. delicti, 6. hui. tit. vbi latiùs de formulis agemus. Neq; ex eo quòd formulæ, & actionum impetrationes sunt omninò sublatæ, debemus dicere cum Ca-

noniſtis

noniſtis, omnia iudicia eſſe extraordinaria; ſed cum etiam ordo ſit præſcriptus, in ordinatione iudicij ad vnguem ſeruandus, erit iudicium ordinarium; ſed nō eo pacto, quo antiquitùs accipiebatur.

24 Iudiciorũ igitur formulæ in edicto Prætoris erant ſcriptæ,& in vſu fuere,quouſq; ſuperuacanea illa ſub tilitas fuit ab Imperat.ſublata. Eorum tamen forma hodiè conſiſtit in eo, vt à legitimis perſonis, quibus conſtare debet iudicium, inſtituatur, & in obſeruatione eorum, quæ in hoc ſecundo Decretalium libro continentur, nempé in libelli oblatione, litis conteſtatione, iudicij ordine, probationibus, ſētentiæ prolatione, & in cæteris, quæ à noſtro tit. vſq; ad vltimũ huius libri continentur: vbi præſcribitur forma iudicij ciuilis; & in lib. 5. tit. 1. de accuſat. traduntur regulæ in criminalibus negotijs obſeruandæ.

25 Iudicium ſecundum formam in ordinarium,& extraordinariũ diuiditur, vt docent Bald. nu. 5. Rip. 52. & Peregr. 82. ad hunc locum. Ordinarium iudicium dicitur illud, cuius certa erat procedendi formula: hodie verò cùm ſeruato iuris ordine proceditur, interueniente actione, vel accuſatione, l. ſi pupilli. 6. §. videamus, D. de negot. geſt. l. reſcripto, 6. §. ſi quis, D. de muner. & honor. & c. vnico, vt eccl. benef. Extraordinarium verò iudicium illud dicitur, cuius nulla erat formula, ſed extra ordinē agitabatur: hodiè illud in quo nō ſeruato iuris ordine ſine actione, vel accuſatione iudicis officio proceditur, l. actio, 49. D. de negoc. geſt. l. cum filius familiàs, 17. D. ſi cert.

cert. petat. l. salariũ, 7. D. mand. & l. pecuniæ, 178. §. persecutionis, D. de verb. sig. c. in his 16. & c. 17. de accusation. Hinc disputant scribentes ad hunc locum, an iudicium inquisitionis ordinarium, an extraordinarium sit: cuius dubij resolutio erit petenda à Pontifice in d. c. 17. nec in ea immorandum, cum suam propriam habeat sedem.

26 Vt finem imponamus interpretationi huius rubricæ, de fine, ac iudicij effectu erit tractandum. Omnia namq; iudicia (vt Cicer. in orat. pro lecin. autor est) aut dirimendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum causa sunt comparata, c. factæ sunt, 4. dist. l. 1. D. de iust. & iure: atq; ita iudiciorum finis est, vt innocentia purgetur, delictũ puniatur, proprium conseruetur, alienũ restituatur, æquitas custodiatur; ac lites debito fine terminentur: c. non frustra, 18. 23. q. 5. Ius enim omne, quo vtimur, tribus præceptis continetur, nempè vt honestè viuamus, alterum non lædamus; iusq; suum vnicuiq; tribuamus. Hùc omnia iura tendunt, vtq; obseruentur, omnia sunt adinuenta iudicia: quorum finis in trium executione præceptorum consistit.

27 Effectus iudiciorum varij sunt, ex quibus nonnullos in medium adducemus. Sit igitur primus, iudiciũ omne iudicis sententia finiri, l. 1. 2. & 3. D. de re iud. Ex qua in factum descendit actio (vt ad Rub. de sent. & re iud. dicemus) adeò valitura, vt nec prætextu nouorum instrumentorum valeat infirmari, in l. sub specie, 4. C. de re iud. Secundus, vt actionem tem-

D pore

pore, vel morte perituram iudicium durare faciat, ipsiusq; nouationem inducat, in l. alium 29. D. de nouation. Tertius, vt non solùm in factum actio, sed etiam ex re iudicio inclusa obligatio oriatur, quæ, & contra patrem in l. 3. §. idem scribit, D. de pecul. & contra hæredes exercetur, in l. vnic. C. ex delict. defunct. Quartus effectus est præscriptionis interruptio, in l. vlt. C. de præs. trig. vel quadrag. ann. alijq; ex iudicio effectus insurgunt.

28 Ab effectu diuiditur iudicium in principale, & incidens, præiudiciale, ac præparatorium. Principale dicitur illud, quod principalitèr exercetur, ad differentiam incidentis, quod ità appellatur, quia in negotio principali incidit, c. 1. & c. 3. de ord. cogn. Præiudiciale est, quod alijs iudicijs parat præiudicium, in l. fundum, 16. D. de exception. §. præiudiciales, inst. de action. Præparatorium autem, quod ad alia iudicia exercenda aperit viam, in l. 1. & in l. 3. D. ad exhib. Hæc pro rubricæ explicatione dicta sufficiant: cœtera verò, quæ à Doctoribus ad hunc locum passim circumferuntur, consultò missa facio, vt interpretis, non resarcinatoris munere videar fungi.

Hactenùs de Rubrica.

Cap.

CAP. DE QVODVVLTDEO. I.

De Iudicijs Interpretatio.

Summa capita in ea contenta.

1 *HVius cap. originale refertur.*
2 *Nullum in hoc cap. figuratum sermonẽ esse ostenditur.*
3 *Cap. nostri decisio conciliaris est.*
4 *Verba textus referuntur.*
5 *Huius cap. sententia, & eius confirmatio traditur.*
6 *Quid contumacia; quid contumax sit.*
7 *Quibus remedijs aduersus contumaces procedatur.*
8 *Ratio, cur contumax in comparendo excommunicatur.*
9 *Et cur beneficio ante causæ exitum non priuatur, confunditur.*
10 *Vera traditur.*
11 *Refertur conciliatio Bernard. huius cap. & l. 18. de iurisd.*
12 *Morlæ intellectus ad hæc iura confunditur.*
13 *Communis probatur.*
14 *Traditur ratio, cur in l. 18. sit pœnitentiæ locus, & non in hoc cap.*
15 *An pœna prorogationi adiecta possit peti coram Iudice prorogato.*
16 *Negantium opinio probatur.*
17 *Explicatur c. dilecti, & c. fin. de for. comp.*
18 *An prorogatione facta, & iuramento firmata, sit locus pœnitentiæ.*

19 *Reijcitur opinio Seraph. in eo art. an iuramentum sequatur actum.*
20 *Salmantinorum.*
21 *Noua traditur, & cum distinctione resoluitur articulus.*
22 *Exponuntur verba vers. interrogatus. huius cap.*
23 *Quæritur ratio, cur fuerit episcopus interrogatus.*
24 *Refertur ratio Abb. antiq.*
25 *Speculatoris.*
26 *Concilium Africanum fuit prouinciale.*
27 *Concilium Africanum potuit recusari.*
28 *Causæ episcoporum in concilijs agitabantur.*
29 *Communis ratio, cur fuerit episcopus interrogatus.*
30 *Interrogatus fuit, vt seruaretur forma c. vocatio, 5. q. 2.*
31 *Interpretatur vers. placuit, huius cap.*
32 *Quæritur ratio, cur fuerit Episcopus excõmunicatus, & refellitur tradita à Cardinali.*
33 *Improbatur ratio Alciati.*
34 *Salmantinorum.*
35 *Traditur vera.*
36 *Pro graui causa episcopum fuisse excommunicatum defenditur.*
37 *Interpretatur vers. nam adimi.*
38 *An concilium prouinciale possit episcopus suis dignitatibus priuare, an hoc ad Pontificem pertineat.*
39 *Negantium refertur sententia.*
40 *Distinguentium.*
41 *Resoluitur ad Pontificem pertinere.*
42 *Episcopus pro causis grauibus corã Pontifice est citandus.*
43 *Argumentum à contrario sensu desumptum, ex vers.*

nam

nam adimi, non procedit.

44 *Iura, quæ probant, concilium prouinciale posse Episcopus deponere, sunt antiquata.*

45 *Præses non potest deportare.*

46 *Potest tamen relegare.*



On contradicendi studio cap. 1. de Iudicijs interpretationem typis mandare decreui, sed vt ex ea, si quid iudicij habeo percipere valeatis in tot, tantisq; interpretũ varietatibus, qui ad hunc locum peculiares edidere commentarios adeo diffusos, vt eorum lectione non solùm animus defatigetur, verùm etiam vires ipsæ debilitentur. Breuem igitur interpretationem aggressurus nonnulla obseruabo, sine quibus nostri cap. sensus percipi non potest.
1 † Illud in primis huius c. verba esse deprompta ex c. 54. Africani Concilij habiti circa tempora Bonifacij I. cuius originale extat 1. tom. concil. pag. 580. sub tit. de Arch. & matric. numid. §. 2. Deindè eius literã in vulgatis codicibus mendosãm esse, cùm in nomine episcopatus, tùm in vers. quem cum. Nam Quoduultdeus episcopus Centuriensis, non Canturiensis erat. Et in vers. quemcum, legendum est *quoniam*, quæ dictio in originali vsq; ad particulã, *discessit.* clauditur parenthesi, vt sic reddatur eius ratio, quod Concilio de Quoduultdeo placuit, prout Aug. & Cont. in notis agnouerunt: percipiturq; ex d. c. 54. Afric. cõcilij græco, & latino sermone scripto.
2 Ex his obseruationibus colligitur primò, nullo figurato

figurato loquendi genere cap. hoc esse illustratum; atq; ita cessare difficultatem à glos. ver. quem, Abb. num. 13. Imol. 25. Barb. 73. vers. venio. Dec. 64. Rip. 38. & Bosch. nu. 104. ad hunc locum excitatam: qui omnes existimabant casum pro casu poni, nempe *quem* pro *qui*, per figuram Antiptosim, quæ committitur, cum casus pro casu ponitur: & si esset frequens, magna nos molestia liberaret: sed est rarissima, seù verius nulla: nam illa loquendi genera, cum scribas, & agas aliquid eorum, quorum consueuisti. Eunuchum, quem dedisti, quas turbas dedit, græci sermonis leges non latini seruant. Hac tamèn figura nunquàm est vtendum, nisi cum aliter dispositio non potest sustineri ex traditis ad c. 11. de rescript.

3 Præterea deducitur, huius cap. decisionem non simpliciter, Pontificiam, sed conciliarem esse, vt potè ab ipso Africano consilio depromptã: vti Felin. Dec. Rip. Ber. & Mant. in princ. notarunt: quod à simili probatur in c. 2. de elect. c. 1. de pact. c. 1. 2. & 3. de foro comp. c. 2. de eccl. ædific. & c. 1. de spons. cum alijs: quorum decisiones appellantur conciliares, quia à concilijs in quibus fuerant conditæ, sunt deductæ. Denotatq; hui. cap. inscriptio ponderando dictionem, *ex*, quæ causam proximam, ac immediatam significat, in l. ex hoc iure, 5. D. de iust. & iur. l. eo tempore, 51. §. fin. D. de pecul. Bart. ad l. 1. §. ex incendio, D. de incend. ruin. & naufr. cum adductis ab Octau. Vulp. de præpos. & aduerb. dictione,

ex. Cuius rei non parui momenti effectus est; nam Pontificiæ decisioni, nulla ipsius facta mentione, contraria Pontif. voluntate derogatur, in c. 1. de constitut. in 6. Conciliari verò non vtiq; in c. nonnulli, 28. de rescript. ex eo quòd clausulam derogatoriã ad futuras dispositiones secum habeat.

4 His animaduersis in modum cuiusdam præuię inspectionis, licèt referre verba cap. nostri, quæ explicare paramus. *De Quoduultdeo Centuriensi Episcopo, (quoniam cum aduersarius ipsius eum petijsset ad conciliũ introduci, interrogatus, an cum eo vellet experiri, primo id promiserat, & altera die respondit, hoc sibi non placere, atq; discessit,) Placuit, vt nullus eidem communicet, donèc satisfactione præmissa fuerit absolutus. Nam adimi sibi Episcopatum ante causæ eius exitũ, nulli potest iure videri.*

5 Quorum verborũ diuisio à glos. Abb. Cost. & Peregr. erit petenda: sententia tamen eorum est huiusmodi. *Promittens coram suo iudice litigare, si contumax sit in comparendo, excommunicari potest, non autem beneficijs priuari.* Nec confirmationis præsidio nudata est nostra decisio, cum multis locis idem caueatur, præcipuè in c. si quis, 6. & 7. c. certum est, 43. in princ. 11. q. 3. c. 1. in fin. c. tuæ, 3. c. quoniam, 5. §. fin. vt lite nõ contest. c. de manifesta, 17. & c. fin. 2. q. 1. Sed de ratione videamus, qua moti patres in concilio decreuere, neminè cũ Quoduultdeo cõmunicare posse quousq; satisfactione præmissa absolutioné impetrauerit. Dubitandi ratio depromitur ex nobili Africani consulti responso lib. 7. q. relato in l. si conuenerit,

rit, 18. D. de Iurisdict. omn. iud. quod cum hoc cap. sine pace pugnare videtur; cum in eo habeatur, promittentem coram aliquo iudice litigare ante incœptum, seu acceptum iudicium pœnitere, ac liberè posse voluntatem mutare.

6 Decidendi autèm ex eo pendet, nam cõtumacia, quæ vel à contemnendo dicitur, vel à tumore, superbum, & aduersus iudicia rebellem animum indicat: siquidem contumacia est inobedientia, & contẽptus superioris c. 1. de dol. & cont. & l. vnic. D. si quis ius dic. scribentes ad c. 2. de maior. & obed. Atq; ideò contumax à contemnendo etiã dicitur, vel quia malitiosè se ipsũ occultat, vel quia dolo malo id agit vt inueniri non possit, neq; ad eum citatio peruenire. Huc non obscurè respexit Hermog. in l. contumacia, 53. §. contumax, D. de re iud. vbi eum contumacem esse scribit, qui tribus edictis propositis, vel vno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, literis euocatus præsentiam sui facere contemnit. Quem locum, (vt ferè omnia) elegantèr exponit Cuiat. lib. 18. obseruat. cap. 30. & pro illis verbis, *literis euocatus*, restituït, *vel literis euocatus*. Quare contumacia graue delictum censetur in c. fin. §. 1. de appellat. in 6. & l. omne, 6. §. contumacia, D. de re
7 milit. † Et aduersus iudicij aleam subire recusantes quamplurima à iure sunt adinuenta remedia, quibus eorum contumacia plectatur, ne proposita impunitatis spes proteruis hominibus ansam præbeat parui faciendi superiores; ne vè quis ex suo dolo, ac malitia

tia commodum consequi videatur. Potest enim procedi aduersus contumaces per captionem pignorũ, vel multæ impositionem, l. 1. §. ex hoc rescripto, D. de ventre insp. §. sciendum, inst. de satisd. tutor. l. vnica, D. si quis ius dic. & l. 2. D. si quis in ius voc. & hanc multã posse contumaci per iudicem dici, quæ non solùm actoris iuri prospiciat; sed etiam contemptam maiestatem suæ iurisdictionis vlciscatur. Iam olim à Romanis hoc seruatũ inuenimus, apud quos vt ex Barr. Aul. Gel. refert Petr. Crinit. de honesta discip. lib. 25. c. 8. citatus reus, qui neq; respondisset, neq; excusatus esset, vnius ouis multa plectebatur. Potest etiàm aduersus contumaces sequestratio decerni: c. 1. 2. & 3. de seq. poss. & fruct. quamuis regularitèr iudicium à sequestratione incipere prohibeatur in l. vnic. C. de proh. seq. pecun. Rursus si agatur actione reali mittitur actor in possessionem rei petitæ ob rei contumaciam, vt tædio affectus, videns res suas ab alijs possideri, veniat responsurus, c. tuæ, 3. c. quoniam, 5. §. fin. vt lite nõ cont. Nam vt præclarè Quintiliano placuit. *Nihil ferè est, quòd hominibus maiorem dolorem incutiat, quàm si bona, & possessiones suas præsertim ab auis, & maioribus per manus acceptas ab extraneis videant occupari.* l. 22. vers. nec verò, C. de adm. tutor, Tiraq. in præfat. de retrac. ex nu. 14. Æne. Rober. lib. 3. rer. iudicat. c. 17. Si verò agatur actione personali aduersus contumaces per censuram ecclesiasticam proceditur in c. 1. c. 3. c. 5. §. fin. vt lit. non cont. ita vt fidelium

communione priuetur contumax in hoc cap. 1. in quo explicãdo nostrę disputationis vertitur cardo. Alias autèm pœnas aduersus contumaces in iure statutas, pleraq; remedia tradunt interpretes ad d. l. vnic. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. 1. q. 44. Menoch. de arb. cas. 154. & 280. Gail. lib. 1. pract. obs. 60. & lib. 2. de pace pub. c. 5.

8 Summo igitur iure, optimaq; ratione cum aduersarius Quoduultdei eum petijsset ad concilium induci, ibiq; interrogatus, an vellet experiri, annuisset: posteaq; contumacitèr absuisset, excommunicationis fuit mucrone damnatus: cum excommunicatio sit neruus ecclesiasticæ disciplinæ ad cõpellendos inobedientes, ipsosq; in officio continendos, c. nemo, 31. 11. q. 3. Trid. sess. 25. de refor. c. 3. maximè cum ex sua promissione teneretur Africani concilij subire iudicium: cuius authoritatem cõtempsit contra dispositionem c. 2. de maior. & obed. & c. omnis. 2. de censib. & ante causæ exitum discessit: quo facto in veræ, & notoriæ contumaciæ crimen incidit, ac meritò fuit nulla alia monitione à fidelium commercio segregatus in eod. c. certum est, & in c. Venerabilibus. 7. §. porrò, vers. secùs autèm, de sent. excom. lib. 6.

9 Neq; episcopatu ante causæ exitum fore priuandum in vltimo hui. cap. vers. decreuit concilium, non quidèm ex ratione ab erudito Ioanne Bap. Costa in hunc locum nu. 5. vers. quartam, meditata, nempè, quòd mitius iure nostro Pontificio, quàm

Cœsareo

Cæſareo agatur, in c. prout, 4. de dol. & contum. & c. ſuam. 9. de pœn. Quia Cæſareo iurè non iuueni hucuſq; ſcriptum ob ſolam rei contumaciam in ipſo iudicij principio commiſſam dignitatis amiſſione reum eſſe plectendum, antequàm ad ſententiam diffinitiuam procedatur, quæ contra abſentem nunquam fertur, niſi reus lite iam conteſtata maximè ceruicax fuerit in c. prout, 4. de dol. & contum. Doct. ad Auth. qui ſemèl, C. quo mod. & quan. iud. aut graue delictum cōmiſſum in l. ſi is, 20. D. com. diuid. quam explicat Duaren. lib. 1. diſp. c. 4. & Robert. lib. 3. ſent. c. 4. qui eius fuit iudicio meo verum ſenſum aſſecutus. Nec quidquam faciunt iura à Coſta allata in c. potuit, & in c. ſuam, in quibus longè diuerſæ agitantur quæſtiones.

10 Statuo itaq; ea fuiſſe ratione motum concilium: nam pro delicto illa tantùm pœna venit imponēda, quæ à iure ſancita ſtabilitaq; eſt, l. ſancimus, 22. C. de pœnis. At pro contumacia perſonali actione in iudicium deducta, excommunicationis pœna debet imponi, c. certum 43. 11. q. 3. quo loci decernitur aliquem excommunicandum eſſe, ſi ante cauſæ ſuæ exitum à synodo abire præſumpſerit. Summa ergo ratione non fuit epiſcopatu priuatus, arg. l. at ſi quis, 14. §. Diuus, D. de relig. & ſump. funer. Auth. de non elig. ſec. nub. §. ſin autèm coll. 1. gloſ. penult. in c. vlt. de iure patr. Tiraq. in l. ſi vnquam, verb. reuertatur, nu. 232. C. de reuoc. donat. Iuuatur hæc ratio: nam ſi ante cauſæ exitum priuaretur epiſco-

patu Quoduultdeus; indè sequeretur (cùm sæpenumerò innocentem, ac indefensum contra naturalem æquitatem condemnari contingat. l. absentem, 5. D. de pœn. c. 1. de caus. poss. c. cũ inter, 5. de exception.) tùm cõtumacẽ pro eodem ipso delicto duplici pœna affici: quod iura negant in l. senatus, 14. D. de accusat. & in c. 4. §. de adulterijs, hui. tit. quò referenda sũt tradita à glos. nostra, & interpretibus ad hunc locum.

11 Supereſt, vt respondeamus dubitandi rationi deductæ ex l. si conuenerit. 18. D. de iurisd. omn. iud. Bernard. ver. non placere existimat regulariter locũ esse pœnitentiæ ex Africano in d. l. 18. & c. cum laici, 10. de iure patr. Cœterùm non admitti, vbi ex ea tertio infertur præiudicium, l. nemo, 76. D. de reg. iur. c. mutare 33. eod. tit. lib. 6. Communiter tamen hanc interpretationem ex eo reijciunt scribentes, quòd nõ satisfaciat difficultati hui. cap. & l. 18. Neq; text. in c. cum laici, probat sententiam glossę, cum loquatur, vbi patronus actũ fecit nullum, cùm propria authoritate præsumpserit, ignorante episcopo, ecclesiam concedere contra iuris dispositionem patrono ius tantum clericos idoneos deferendi indulgentis, in c. illud. 8. cap. contulit. 15. & cap. nullus. 17. de iure patr.

12 Quare Petr. Aug. Morl. in emp. iur. 1. par. tit. 2. nu. 117. ex mente Salmantinorum, à quibus deprompsit, arbitratur in l. 18. licitum fuisse pœnitere, quia pactio nuda interuenerat, vt apparet ex ver. *si conuenerit*

nerit, quod non erat permittendum in ſpecie huius cap. nam ſtipulatio interceſſit, vt conſtat ex ver. *interrogatus*, iuncto illo, *promiſerat*, quæ denotant ſtipulationem, l. 5. §. ſtipulatio, D. de verb. oblig. ſequitur Marc. Anton. Pereg. num. 30. ad hunc locum, aduertendo, pactum hoc non fuiſſe nudum, ſed ſtipulatum. Verùm hæc interpretatio peior eſt priore, confunditurq; nam ius noſtrum Pontificium omnem ſtipulationum reſpuit ſolennitatem: nec ſi admitteret, ſufficiens eſſet ad prorogandam iuriſdictionem, cum proprij iudicis exigatur etiam conſenſus in cap. ſignificaſti. 18. de for. compet. Prætereà, (vt ex vera cap. noſtri apparebit interpretatione) 1 interrogatus fuit Quoduultdeus, vt ſeruaretur forma, cap. 1. 2. & 4. 5. quæſt. 2. Neq; credibile eſt, verborum obligationem interueniſſe, cum altera die epiſcopus reſpondiſſet. l. 1. §. qui præſens, & l. continuus, 137. D. de verb. obligat. Ex verbo namq; *interrogatus*, & verbo *reſpondit*, ſtipulatio conijcitur: quod altera fuiſſe die ſecutum ex verbis huius cap. clarè deprehenditur.

13 Hæc igitur iura, quæ prima facie collatis, vt aiunt, ſignis videntur pugnare, facilè in amicitiã redigentur, ſi omiſſa explicatione Ber. num. 148. Alc. num. 20. ad hunc locum. Coraſ. lib. 4. miſc. cap. 5. Couarr. in cap. quamuis 1. par. §. 4. num. 7. de pact. lib. 6., quam rectè Gouean. improbat ad dict. l. 18. & Fachin. libro primo controuerſ. capit. 61. cum interpretum communi ſchola dicamus, legem il-

lam

illam esse intelligendam de conuentione litigandi coram Iudice non suo, del de non declinanda iurisdictione illius, cui aliàs non competebat; in quem sensum, quasi manu, nos ducunt illa verba, *Si conuenerit, vt alius Prætor, quàm cuius iurisdictio est*; nostrum v erò cap. esse accipiendum de promissione litigandi coram proprio Iudice, vel de non declinanda eius iurisdictione, quanuís aliqua posset exceptio competere. Quæ interpretatio depromitur ex eò, quòd Africanum concilium Iudex erat competens ad cognoscendum de causis episcoporum, qui in eo congregati erant, c. scitote. 2. 6. q. 3. vt latiùs dice-
14 mus nu. 23. † Veram tamèn rationem, cùr in l. 18. pœnitentiæ locus sit, & non in hoc cap. petendam existimo à Cuiat. tract. 7. ad Afric. in d. l. 18. Nam & si vtroq; in loco nudum interuenerit pactum (vt apparet ex ver. *conuenerit*, de quo ibi, quod ad nudũ pactum refertur, in l. lecta, 40. iuncta glos. ver. conuenerit, D. si cert. petat. & ex nostro cap. 5. quod de stipulatione non posse intelligi. 12. numero ostendimus; & ex pacto nudo neq; Pontificio, vt ego existimo, neq; Cæsareo actio oriatur, iuxtà veram interpretationem c. 1. & c. 3. de pact. à nobis traditam ad c. 6. Gui. tit. num. 15. l. iurisgentium, 7. §. sed cum nulla, vers. igitur nuda, D. de pact. l. legem, 10. C. eod.) oritur tamèn exceptio: nam exceptiones, & replicationes ex pactis quantumuis nudis dantur, l. si vnus, 38. §. pactus, D. de pact. l. 2. §. replicationes, D. de exception. Hinc est, quòd tàm iure Ponti-
ficio

ficio, quàm Cœsareo non sufficiat consensus partiū ad tribuendam iurisdictionem ei, cui non competebat; sed præter consensum requiratur ipsius Iudicis aditio in ead. l. 18. & in l. 1. D. hoc tit. ibi. *si se subijciant aliqui iurisdictioni, & cōsentiant:* non enim se subiecisse videtur, nisi Iudice adito, ac Cœsareo iure, lite contestata, Pontificio parte in ius vocatà ipsaq; comparente, ac rursùs proprij episcopi habito consensu in c. significasti. 18. de for. comp. Atq; ideò alterius volūtate mutata, antequàm adeatur Prætor, alter non cōpellitur conuentione vtpotè nuda stare in l. 18. quæ tamen Prætoris aditione desinit esse nuda; cum celebretur quasi contractus in l. 3. §. idem scribit, D. de pecul. & proprie se quis subijciat in l. 1. hui. tit. Nec compelleretur Quoduultdeus in nostro cap. si ageretur de tribuenda iurisdictione: sed quia de non declinanda tractabatur, excommunicatione fuit respondere coactus: cum exceptio declinatoria elidatur replicatione orta ex pacto quantumuis nudo de non declinanda iurisdictione proprij iudicis. Ex quibus constat Africanum consultum nō pugnare cū Africani concilij loco.

15 Occasione huius concordię cum Abb. Dec. & Rip. in hunc locū inter alios, duo sunt articuli disputādi: primus; An si prorogans iurisdictionem recusauerit comparere, & prorogationi sit adiecta pœna, ad eam agi possit coram iudice prorogato. In quo est intelligendum prorogationem fuisse factam nudo pacto, ac stipulationi fuisse adiectam pœnam: quod vtile arbi-

tratur

tratur Iustin. in §. fin. inst. de verb. obligat. Guil. Cun. ad l. 1. D. hoc tit. in ea est sententia, vt existimet, ad pœnam coram iudice prorogato agi posse. Primò, ex c. dilecti, 17. Ibi, *qui se certo loco respondere, vel soluere aduersarijs promiserunt.* de foro comp. c. 1. §. contrahentes, eod. tit. lib. 6. & l. contraxisse, 20. D. de oblig. & action. *contraxisse*, inquit Vlpian. *Vnusquisq; in eo loco intelligitur, in quo vt solueret, se obligauit.* Deindè ad hanc rem facit l. 1. iuncta glos. verb. pro non dato, D. si quis in ius voc. vbi promittens sistere aliquem in iudicium, eo in loco sortitur forum; cum ibi contraxisse videatur, l. si vt proponitur, 62. D. de fideiuss. Vltimò, in hanc sententiam adducuntur tex. in l. exigere. 65. D. hoc tit. Quo loci Vlp. decîdit, dotem exigendam esse eo in loco, quo fuit destinatus matrimonij effectus. Quemadmodum promittens facere aliquid in aliquo loco, videtur ibi se obligasse ex Papin. in l. eum qui, 43. ff. hoc tit. Sequuntur post Anton. Abb. nu. 21. vers. & primo nunquid, Dec. 1. lect. ex nu. 119. qui nu. 121. ad fin. dicit ab hac sententia non esse recedendum; eamq; vocat communem, Rip. nu. 56. & Pereg. 41. ad hunc locum.

Ioan. Ign. contrarium sentit, nempè ad pœnam coram iudice prorogato agi non posse; cuius opinio sequentibus fulcitur fundamentis. Primò, ex l. qui fundum, 40. D. de contrah. empt. vbi qualitas in dispositione adiecta non censetur in alia sequenti dispositione repetita: quod ad illum locum notat Bart. & ad l. si ita. 126. §. Chrysogonus, nu. 4. D. de verb. obligat.

obligat. Deinde facit l. 2. C. vbi, & apud quem; vbi probatur, agentem ad distractum teneri sequi forum illius, contra quem agit, non autem esse attendendũ contractus locum. Deniq; l. 1. C. si à non comp. iud. & c. 4. hui. tit. quibus perspicuè cauetur, sententiam ab incompetente iudice latam esse nullam: sed iudex prorogatus antequam adeatur, est incompetens, in l. si conuenerit, 18. D. de iurisd. omn. iud. Hæc sunt, quę pro communi, & contra communem à nostris interpretibus communitèr adducuntur.

16 Opinionem tamen contra communem veriorẽ iudico vnico ductus argumento à principijs nostrę artis petito: quod vt rectiùs percipiatur, erit considerandum, quęstionem excitatã fuisse in nuda conuentione, de qua loquitur, African. in l. 18. atq; ita prorogationẽ pacto nudo fuisse factam; pœnam verò stipulatione adiectam soluendam, vbi eorũ quis renuisset respondere. Hoc animaduerso, ita licèt argumentari: Subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur, l. fori, 4. C. de aduoc. diuers. iudic.: at pœna subrogatur loco pacti, quo fuit iurisdictio prorogata, l. prædia, 29. D. de action. emp. & in §. fi. n st. de verb. obligat. igitur cum ratione pacti non possit conueniri quis coram iudice prorogato, vtiq; non poterit ratione pœnæ: sed coram iudice competente erit petenda.

17 Nec quidquam refragantur ea, quæ pro communi sup. perpendimus: quia illa iura loquuntur de contractu valido, vel loco specialitèr solutioni destinato,

F cuius

cuius ratione forum quis sortitur in c. dilecti,& in c. vlt. de for.comp. & in d.c.1.§. contrahentes,& in l. contraxisse. Nos autem in longè diuersa sumus quęstione, in qua ad pœnam exigendam adeundus erit proprius iudex. Id enimq; iuris erit, si pœna nō sit adiecta,& petatur id, quod interest, cuius æstimatio iudici incumbet, neq; actione de dolo erit petendum, sed iudicis officio extorquendum. Quod etiam in clerico locum habebit, si episcopi consensu pacto nudo prorogasset iurisdictionem, cum hæc conuentio, vt nuda nec iure Pontificio sit firma, in c.1.& in c.3.de pact. quę non de pactis nudis, sed legum ministerio confirmatis sunt accipiēda, vt dicemus ad c.6.hui.tit.n.15.

18 Secundus sit articulus, An prorogatione iudicis alieni nudo facta pacto, iuramento tamèn firmata, pœnitentiæ locus sit ante iudicis aditionem. Cuius resolutio pendet à veteri admodùm illa, ac peruulgata inter præclaros iuris prudentiæ scriptores disceptatione, an iuramentum sequatur naturam actus cui adhæret, an eā superet. In qua planè video, vtriusq; sententiæ adstipulatores quamplures esse, qui dùm vnam tutantur partem, alteram diruere conantur, ancipitesq; nos reddunt, cum ingenij laudē quærunt. In ea enim sunt, qui affirment, iuramentum sequi naturam actus, cui adhæret; vt in c. 2.de renunc. c.ad audientiam, 4.de ijs quæ vi, c. si diligenti, in fin. 12.de for. comp. c.2. c.intellecto, 33. cum alijs tit. de iure iur. c.ex parte il 2.13.de cler.non resid.c.2. & c. commissum, 16. de sponsalib. Deindè ex l. fin. D.qui

D. qui satisd. cog. l. iurisgentium, 7. §. si paciscar, D. de pact. l. si quis. 115. §. fin. D. de legat. 1. l. libertus, 15. D. de oper. lib. l. si quis 57. D. de fideiuss. & l. fin. D. ad municip. Postremò in l. non dubium, 5. C. de legib. ac l. vlt. C. de non numer. pecun. Ex qua parte, si vera est, necessariò euincitur, antequã adeatur iudex, pœnitentiæ locum esse, etiam si iuramento prorogatio nudo facta pacto sit vallata, quam post Anton. ad hunc locũ tutãtur Abb. nu. 22. & Roman. nu. 2. in l. 18. de iurisd.

Non tamèn desunt, qui acerrimè contrarium defendant, iuramentum nempè confirmare actum aliàs inualidum, cui adiungitur. Primò ex c. debitores, 6. de iureiur. c. tuas. 13. de vsur. c. ad nostram. 7. de iure iur. iuncta l. solutionis, 54. D. de solutionib. c. si verò 8. eod. tit. iuncta l. 1. D. quod met cau. Præterea ex c. cum contingat, 28. eod. tit. c. licet mulieres, eod. tit. lib. 6. iuncta l. lex Iulia, 4. cum seq. D. de fundo dot. c. quamuís, 2. de pact. in 6. iuncta l. pactum. 3. C. de collation. Tertio loco; quia obligatus ad factum soluendo interesse ferè sempèr liberatur in l. stipulationes, 72. §. Celsus, D. de verb. oblig. & l. si quis ab alio, 13. §. fin. D. de re iud. Si tamèn iurauerit ad factum præcisè compellitur, l. si pecuniã, 5. ibi, *necessè habeas proficisci*, D. de condict. cau. dat. vbi & Accurs. verb. necessè, & cœteri scribentes agnouerunt. Tandèm, nã licèt quidquid cum minore gestum sit, in integrũ restitutionis beneficio rescindatur in l. j. D. de minor. iuramentum tamèn à minore præstitum in causa est,

vt beneficio via præcludatur in Auth. sacraměta, C. si aduers. vendit. Ex quibus iam patet fundaměntis facta iudicis alieni pacto nudo prorogatione, & iuramento firmata, etiam ante iudicis aditioně non esse pœnitentiæ locum ob prærogatiuam, & iuramenti excellentiam, c. & si Christus, 26. de iure iur. tenent Angel. nu. 1. Fulg. 12. Paul. 2. Alex. 2. & Iaf. nu. 5. in ead. l. 18. Dec. nu. 127. Rip. 57. Ber. 181. Cost. 228. & Pereg. 47. ad hunc locum.

19 In hac celebri iuris controuersia, in qua nō solùm interpretes, verùm ipsi legum conditores contrarij videntur, Seraphin. in tract. de priuileg. iuram. priuileg. 153. existimat, primam opinionem procedere in naturalibus ipsius actus; secundam in accidentalibus (quæ autem sint naturalia quæq; accidentalia cōtractus docuit Papin. in l. pacta, 72. D. de contrah. empt. Cels. in l. cum precario. 12. D. de precar.) Verùm hæc concordia cum nullo iure, aut ratione nitatur erit omninò reijcienda.

20 Salmantini, quibus plurimùm me debere fateor, in eam sententiā conueniunt, vt existiment primā opinionem locū habere, quādò iuramentū interponitur citra actus validitatem, tunc enim sequitur naturam actus, recipitq; omnes interpretationes, quæ bona fide actui accomodantur. Secundā autèm opinioně esse accipiendam, quandò iuramentum interponitur ad validitatě actus, quod ob suā excellentiam, & potestatem confirmat actū, cui adiungitur, ipsùmq; irreuocabilě reddit. Sed quamùis ego tantū Salmantinis

deferre

deferre soleam, vt malim (vt ita dicã) cum eis errare quam cũ alijs vera sentire, tẽperare mihi nõ possum, quominus in hac parte reprehensionis telum in eos contorqueam eo solo ductus fundamento, quòd eorum concordia iuribus pro vtraq; parte sup. adductis minimè conueniat, vt planum est.

21 Quare non credo in re tàm ardua ita planè (vt à nostris fieri solet) esse procedẽdũ, atq; ita mecũ ipse tacitus cogitabã, tentari posse, totã hanc ipsam rem pẽdere ex actu, super quo interponitur iuramentũ, & ex forma secundũ quã præstatur. Dixi, ex actu super quo interponitur, nã in primis est considerandum, an actus turpis sit, nec nè, quia si actus aliquã in se turpitudinem contineat, iuramento non confirmatur, ne dicamus religiosã rẽ vinculũ esse iniquitatis, c. inter cætera, 22. q. 4. de huiusmodi actu debent accipi d. c. si diligenti, d. c. 2. c. intellecto, 33. de iureiur. §. si paciscar, §. fin. l. si quis, & l. non dubiũ. sup. alleg. Cuius rei rationẽ tradit Põtif. in c. nõ est, de reg. iur. in 6. de iuramento igitur super actu honesto interposito nostra disputatio est. Dixi ẽt, considerandã esse formã, qua iuramentũ prҿstatur, nam si actus nullã in se turpitudinẽ contineat, debemus animaduertere, aliquando cõcipi iuramentũ in eadẽ forma actus, aliquãdo verò concipi in diuersa forma actus; primò in casu primæ sententiæ affirmantis iura procedunt; in secundo secundæ opinionis fundamẽta. Dicitur autẽ iuramentũ concipi in eadem forma actus, quando quis id ipsum iurat, ꝙ simplicitèr ꝓmiserat, vt in d. c. 1. & in d. c. ad audientiam

vt beneficio via præcludatur in Auth. sacraměta, C. si aduers. vendit. Ex quibus iam patet fundaměntis facta iudicis alieni pacto nudo prorogatione, & iuramento firmata, etiam ante iudicis aditioně non esse pœnitentiæ locum ob prærogatiuam, & iuramenti excellentiam, c. & si Christus, 26. de iure iur. tenent Angel. nu. 1. Fulg. 12. Paul. 2. Alex. 2. & Iaſ. nu. 5. in ead. l. 18. Dec. nu. 127. Rip. 57. Ber. 181. Coſt. 228. & Pereg. 47. ad hunc locum.

19 In hac celebri iuris controuersia, in qua nō solùm interpretes, verùm ipsi legum conditores contrarij videntur, Seraphin. in tract. de priuileg. iuram. priuileg. 153. existimat, primam opinionem procedere in naturalibus ipsius actus; secundam in accidentalibus (quæ autem sint naturalia quæq; accidentalia cōtractus docuit Papin. in l. pacta, 72. D. de contrah. empt. Cels. in l. cum precario. 12. D. de precar.) Verùm hæc concordia cum nullo iure, aut ratione nitatur erit omninò reijcienda.

20 Salmantini, quibus plurimùm me debere fateor, in eam sententiā conueniunt, vt existiment primā opinionem locū habere, quādò iuramentū interponitur citra actus validitatem, tunc enim sequitur naturam actus, recipitq; omnes interpretationes, quæ bona fide actui accomodantur. Secundā autèm opinioně esse accipiendam quandò iuramentum interponitur ad validitatě actus, quod ob suā excellentiam, & potestatem confirmat actū, cui adiungitur, ipsumq; irreuocabilě reddit. Sed quamùis ego tantū Salmantinis

deferre

deferre soleam, vt malim (vt ita dicã) cum eis errare quam cũ alijs vera sentire, tẽperare mihi nõ possum, quominus in hac parte reprehensionis telum in eos contorqueam eo solo ductus fundamento, quòd eorum concordia iuribus pro vtraq; parte sup. adductis minimè conueniat, vt planum est.

21 Quare non credo in re tàm ardua ita planè (vt à nostris fieri solet) esse procedẽdũ, atq; ita mecũ ipse tacitus cogitabã, tentari posse, totã hanc ipsam rem pẽdere ex actu, super quo interponitur iuramentũ, & ex forma secundũ quã præstatur. Dixi, ex actu super quo interponitur, nã in primis est considerandum, an actus turpis sit, nec nè, quia si actus aliquã in se turpitudinem contineat, iuramento non confirmatur, ne dicamus religiosã rẽ vinculũ esse iniquitatis, c. inter cætera, 22. q. 4. de huiusmodi actu debent accipi d. c. si diligenti, d. c. 2. c. intellecto, 33. de iureiur. §. si paciscar, §. fin. l. si quis, & l. non dubiũ. sup. alleg. Cuius rei rationẽ tradit Põtif. in c. nõ est, de reg. iur. in 6. de iuramento igitur super actu honesto interposito nostra disputatio est. Dixi ẽt, considerandã esse formã, qua iuramentũ prę statur, nam si actus nullã in se turpitudinẽ contineat, debemus animaduertere, aliquando cõcipi iuramentũ in eadẽ forma actus, aliquãdo verò concipi in diuersa forma actus; primò in casu primæ sententiæ affirmantis iura procedunt; in secundo secundæ opinionis fundamẽta. Dicitur autẽ iuramentũ concipi in eadem forma actus, quando quis id ipsum iurat, ꝙ simplicitèr ꝓmiserat, vt in d. c. 1. & in d. c. ad

audientiam, in quibus promittens solùm iurauit renunciare. in d.c. ex parte, in d.c. 2. & in d. c. cōmissum, in d.l. fin. in d.l. libertus, & in d.l. fin. D. ad municip. opus fuit rescripto Imperat. Tex. elegans in l. fin. C. de non num. pecun. vbi Iustin. statuit, competere ei, qui iurauit, pecuniam soluturum, exceptionem non numeratæ pecuniæ; quia cū ex natura actus præstetur in princ. inst. de liter. oblig. & iuramentū nihil aliud exprimat, mirum nō est, si competat intra biennium. Non enim iurat quis pecuniam recepisse, vel non esse in iudicium deducturum exceptionē non numeratæ pecuniæ; quia tunc cùm in diuersa actus forma iurasset, teneretur ad obseruantiam; sed iurat, se soluturum, si accipiat scilicèt, atq; ita iuramentū eandem recipit interpretationem. Qui est verus d. l. vlt. sensus. In diuersa autèm actus forma iuramentum concipi dicitur, quando aliquid ampliùs exprimitur, quàm simplici continetur promissione. Qua in specie sunt intelligendi, tex. in d.c. debitores, c. tuas. Vbi nō iurauit quis, pecuniam cum vsura mutuo accipere, sed simplicitèr soluere vsuras; d.c. ad nostram, c si verò, c. cum contingat, c. licèt, c. quanuis. tex. in d.l. si pecuniam, 5. D. de condict. cau. dat. Verùm cùm in eo, nec verbum de iuramēto sit, nōn credo huic quæstioni posse adaptari. De qua rectè intelligitur d. Auth. sacramenta, vbi ea ratione iuramentum confirmat actum, quia concipitur in diuersa forma; non enim puberes iurant alienare, sed non contrauenire alienationi. Ex ijs apparet iàm quid sit resoluendum in

illo

illo difficili articulo, an iuramentum ſequatur naturam actus, cui adiungitur, an verò ſuperet: ac per conſequens cōſtat etiàm, prorogatione iudicis alieni nudo facta pacto,& iuramento firmata, eſſe pœnitentiæ locum ante iudicis aditionem, ſi iuramentum nihil aliud contineat, quā prorogationis conuentio. Si verò amplius aliquid cōprehendat, vtpotè ſi quis iuraſſet, conuentioni non contrauenire, non erit pœnitentiæ locus etiam ante iudicis aditionem. Quod in hac quæſtione credo tenendum, omiſſis omnibus, quæ circa eam cōmuniter traduntur, in quibus magis hariolari, quàm vera promere vidētur interpretes.

22 Plura, quæ circa interpretationem d. l. 18. commodè dici poterant, conſultò miſſa facio, animum traducens ad interpretationem ſingulorum verborū, cap. noſtri, quæ in tres diuidetur partes: in prima explicabimus verſ. interrogatus; in ſecunda verſ. placuit: in vltima, verſ. nam adimi. Ad primam ſe ſe nobis offerunt enucleanda ſequentia verba. *Interrogatus an cum eo vellet experiri, primò id promiſerat, & altera dìe reſpondit, hoc ſibi non placere, atq; diceſſit.* Planè ex his verbis, niſi benè fundata iuris Pontificij prudentia repugnaret, colligeretur, ſtipulationem interueniſſe, cùm verbum *promitto interrogandi* verbo adiectum verborum obligationem inducere, benè docti iuriſconſulti agnouerint. Sed non hic eſt illorū verborum ſenſus, vt num. 12. notauimus. Interrogatus quippè epiſcopus Quoduultdeus ab aduerſario fuit, an vellet, vt coram Africano concilio de negocio

diſceptaretur

disceptaretur, & prima die annuit, altera comparere renuit, atq; discessit: quod proprium est reorum, qui iudicium sempèr subterfugiunt, qua ratione græco idiomate vocatur, hoc est, *fugiens*, nam vt docet Senec. epist. 97. *bona conscientia prodire vult, & conspici, ipsas nequitia tenebras timet.*

23 Sed qua ratione fuisset interrogatus nõ satís apud nos liquet, nam cùm iudicium reddatur in inuitum, l. neq; 54. D. de procurator. l. inter, 83. §. 1. D. de ver. oblig. & c. intelleximus, 7. hui. tit. ac per consequens teneatur reus coram suo iudice respondere; & causæ episcoporũ sint in concilio tanquàm coram proprio iudice tractandæ, c. 2. c. propter il 2. 15. 18. distinct. c. vltra, 4. c. accusatus, c. discutere, 3. q. 6. & c. scitote. 2. 6. q. 3. cùr igitur fuit Quoduultdeus ab aduersario requisitus? Respondet Bernardus dupliciter. Primò ex superabundanti fuisse interrogatum, Deindè, hoc ideò effectum, ne posset concilium posteà recusare. Ab vtraq; solutione recedit; à prima, quia non est credibile frustra illud fuisse factum; à secunda, quia tota synodus non potest recusari. Cuius rei occasione disputant latè Doctores ad hunc locũ an synodus possit recusari, vt ex Cost. & Pereg. licet videre.

24 Verum enim verò vt hanc difficultatem, in qua tota vis cap. nostri consistit, ad vnguem explicemus, operæ pretium duxi, singulorum referre, paucisq; refellere intellectus. Abb. antiq. ad hunc locum in ea est sententia, vt existimet, ideò fuisse episcopum interroga-

interrogatũ, quia agebatur de causa crminali, quæ est de maioribus, atq; ita de illis, quarum cognitio Pontifici reseruatur in c. vt debitus, 59. ad fin. de appell. Hanc tamèn rem non rectè ab Abb. perpensam ex eo constat, nam quotiès causa ita ardua est, vt ipso iure ad sedem apostolicam deuoluatur, veluti fidei, ac similium, episcopi voluntas nihil præstat in c. quòd, 4. de offic. leg. Si verò non est huiusmodi ex antiquis illis canonibus ad concilium pertinet cognitio in c. accusatus, 5. 3. q. 6. & in c. episcopus. 65. 11. q. 3. qua de re latiùs in seq. vers. agemus.

25 Speculator in tit. de compet. iudic. aditio, §. 1. vers. sed nunquid aliter interpretatur cap. nostrum, constituit enim, ea de causa fuisse episcopum interrogatum, quia ei ius eligendi competebat, an corã concilio, an Pontifice vellet conueniri; atq; ita vt huic priuilegio non esset locus, præcessit interrogatio, & sequuta fuit responsio; in quam sententiam ducũtur Anchar. nu. 9. Imol. ante nu. 1. Dec. 2. lect. n. 71. ad hunc locum, decisione c. neminem, 16. vers. fin. 3. q. 6. quo loci deciditur, vt omnis accusatio intra prouintiam audiatur, & à comprouintialibus terminetur, nisi Prælatus sit, qui accusatur. At Speculator, quanuìs ingenij sui acumine omnia speculando assequi videatur, hac tamèn in re mihi non ꝓbatur scienti, Episcopum cõcilium recusare volentem legitimã debere suspicionis causam probare, in cap. quòd suspecti. 15. 3. q. 5. quod vtiq; non incumberet, si ius eligendi hac in parte daretur. Nec in cõtrarium illis

verbis possum moueri, *nisi Prælatus sit, qui accusatur*. Nam præter quàm quòd præcedentia verba eiusd. cap. legenti constabit clarè, non tàm ad accusationē, quàm causæ determinationem esse referenda, vt ita procedat decisio d. c. accusatus, (quidquid contradicat Dec.) planum est, in Romana synodo, ex qua desumptus est ille textus, illa verba non inueniri; & in alijs exemplaribus ita legi, *nisi ad sedem apostolicam fuerit appellatum*. secundum quam lectionem procedet decisio c. vltra, 4. 3. q. 6.

26 His igitur, & alijs reiectis intellectibus, quos & Panorm. ex nu. 14. Rip. 45. Cost. 198. Peregr. 25. ad hunc locum referunt, & Cuiac. in recitat. solemnib. ad hoc cap. qui primam Bernardi sequitur solutionē, vt verus tradatur, sequentia erunt obseruanda. Primùm, quòd & si summis sit contentionibus agitatum, An concilium Africanum, ex quo desumptum est hoc cap. generale, an prouinciale fuisset, obtinuit tandèm opinio existimantium, nationale (vt ipsi appellant) fuisse, quod prouincialis vim, atq; authoritatem obtinet: in quem sensum dictum credo tale concilium vniuersale fuisse in c. primæ sedis. 99. distinct. vt notarunt Bellarm. tom. 1. controuers. lib. 1. de concil. c. 4. Varon. 3. tom. annal. pag. 527. Tùm quia si vniuersale esset, frustra interrogaretur Quodnultdeus, an vellet in eo experiri, arg. eorum, quæ scribentes notarunt in c. 1. 16. dist. Tùm quía in c. quoniam, ead. dist. & in seq. enumerantur vniuersalia concilia, inter quæ non recensetur Africanum,

quod

quòd inter prouincialia extat in c. prima adnotatio, ead. dist.

27 Deindè tale concilium potuisse recusari iusta interueniente causa, c. quotiès, 16. 2. q. 6. c. quod suspecti, 15. 3. q. 5. c. vltra, 3. q. 6. iuncto c. super eo, il secondo, 12. de appell.

28 Postremò antiquo iure episcoporum causas in prouincialibus concilijs tractari solitas fuisse, in c. propter, cum similibus nu. 23. allegatis. Hodiè tamen coram Romano Pontif. debere agitari, vt cauetur Trid. loco sess. 24. c. 5. de reformat. de qua relatiùs infra dicemus.

29 Iactis his notabilibus, arbitror episcopum in hoc cap. fuisse ab aduersario interrogatum, an vellet cũ eo in concilio experiri; nam cum tale concilium esset nationale, & per consequens iusta causa existente posset recusari; meritò vt recusationis beneficium esset sublatum, præcessit interrogatio ex sententia Bernardi, qui parùm sibi constans immeritò ab hoc recessit intellectu eo ex capite, quòd (vt prædiximus) falsò existimarat, totam synodũ non posse recusari.

30 Sed tentari posse existimo, interrogatum fuisse episcopum, vt excluderetur exceptio, quæ ei competere poterat ex decreto Syluest. Pontif. quod extat in c. præsenti, 5. q. 2. quo sũmma cum ratione fuit sancitum, vt & si episcoporum causæ in concilijs prouincialibus essent tractandæ (vt nu. 23. obseruauimus) accusatores tamèn non valerent aduersus eos accusationes proponere, nisi præcedente cano-

nica vocatione, in eaq; seruato dierum interuallo ibi præscripto, & porrecta scriptura opponenda crimina continēte, vt ita reus paratus respōdere veniret, c. si Primates, ead. cau. & quæst. Quæ forma erat ad vnguem seruanda, vt episcopus ad synodum veniens suis teneretur in ea respondere aduersarijs, c. vocatio, ead. cau. & quæst. vbi postquàm supra dictæ solemnitatis facta fuit mentio, hæc subduntur verba, *Nisi canonicè vocatus fuerit, licèt venerit ad conuentum, nullatenùs suis respondebit insidiatoribus, nisi spontè voluerit.* Ea igitur de causa nō ineptè dicere possumus, fuisse interrogatum episcopum, quia canonicè non fuerat vocatus, atq; ita licet concilio adesset, adhùc poterat exceptionem illam formæ non seruatæ Syluestrini decreti opponere, quæ ipsius promissione omninò cessauit, cum spontè voluerit, suis insidiatoribus respondere ex decisione d. c. vocatio, quæ cū hàc nostra coniungenda est, vt eius verus sensus percipiatur.

31 Ad secundam huius interpretationis partem accedendo, explicanda sunt illa verba. *Placuit, vt nullus eidem communicet, donec satisfactione præmissa fuerit absolutus.* Ex quibus apparet, concilium decreuisse, cōmunione fidelium venire priuandū Quoduultdeum, id est, excommunicatione, (quam maiorem vocant cap. à nobis. 2. de exception.) plectendum; donec satisfactione præmissa fuerit absolutus, hoc est, quousq; litis soluerit impensas, cautionemq; de stando iure præstiterit, cap. per tuas, 40. de

sent.

ſent. excommu. & cap. ex parte, 23. de verb. ſignif. Vndè factum intelligere poſſumus, vt loco illorum verborum, quæ in antiquis extabant exemplaribus, *Donec cauſa eius qualem potuerit terminum ſumat*. Quæ ſibi volunt, non anteà quem eſſe abſoluendum, quàm aduerſario integrè ſatisfecerit, quod antiquum ius exigebat, in cap. ſi quis epiſcopus. 4. 11. quæſt. 3. Sint illa reſtituta, *Donec ſatisfactione præmiſſa fuerit abſolutus*. Cum illud ius ſit abrogatum deciſione d. cap. ex parte. Conſtat igitur abſolutionem mereri, qui impenſam ſoluit, & cautionem præſtat. Quò pertinent tradita à gloſ. verb. donèc, & à iuris noſtri interpretibus ad hunc locum.

32 Summam tamèn in ſe difficultatem videtur continere ſententia excommunicationis à concilio prolata in ſpecie huius cap. quippè cum in eò nec de monitione, nec cauſa appareat; quæ omninò requiruntur, vt excommunicatio liget; quæ, niſi trina præcedente monitione, ferri non poteſt, cap. ſacro, 48. de ſentent. excommun. quo loci, aut tres monitiones, aut vna peremptoria omninò deſideratur. Nec pro leui, ſed graui cauſa ferenda eſt, cap. nemo, 41. cap. nullus, 42. 11. quæſt. 3. Ad primum argumentationis membrum reſpondēt multi cum Cardin. in cap. cum ſit. 5. §. Prætereà, num. 3. de appellation. Epiſcopum, de quo loquimur, notoriæ contumaciæ crimen cōmiſiſſe, atq; ita monitionē nō eſſe neceſſariā ex d. §. Prętereà. Decipiuntur tamèn qui Cardinali conſentiunt, cùm ſit verius etiā

in

in crimininibus quantunùis notorijs monitionem, (cuius origo naturale ius redolet) requiri, in c. 1. de cauſ. poſſ. Maximè cùm excõmunicatio non in pœnã præteriti delicti, ſed pro contumatia, ac pręſenti inobedientia feratur, quæ eſt proxima, & immediata ipſius cauſa, ex gloſ. verb. minimis in c. epiſcopi. 8. 11. q. 3. quæ haberi non poteſt, niſi monitio præcedat, vel appareat nihil profuturam eſſe. Non obſtat d. §. Pręterea, nam eſt ponderandum verbum *irrequiſitum*, (de quo ibi) quod denotat, non fuiſſe Corinthum illũ iterùm quæſitum, ſed anteà ab Apoſtolo monitum ſignificat.

33 Hac reiecta interpretatione, quia nullam præ ſe veritatem ferre videtur, ſuccedit alia, quam ex Anton. refert Alciat. nu. 41. ad hunc locum, & approbat; nempè vt intelligamus, poſt diſplicentiam, ac epiſcopi diſceſſum interueniſſe monitionem, vt fidelium communione priuaretur; quę & ſi facta non appareat, credendum eſt interceſſiſſe; vt terminos habiles ſupponamus. Pręſertim cùm ex Anton. in concilio prouinciali fuiſſet interrogatus Quoduuldeus, & in generali excommunicatus, quo ſanè temporis interuallo moneri potuiſſe nemo eſt, qui cum ratione neget. Sed bone Deus quot Canoniſtarum ineptiæ? quibus miror Alciatum applauſiſſe, hominem aliàs antiquitatum acerrimũ indagatorẽ. Vbinàm quæſo inuenitur conciliũ Africanũ generale? nullibi certè, vt ex hiſtorijs eccleſiaſticis nu. 26. notauimus; quod & verbis cap. noſtri clarè probatur, quæ extant in

iam

iam dicto c. 54. Afric. concil. ibi *interrogatus, promisit, discessit,* iuncto vers. *placuit*. Ex quibus conijcitur, episcopum fuisse à concilio excõmunicatum statím atq; discessit, nullamq; monitionem inter discessum, ac sententiam interuenisse, potest aliqua coniectura deprehendi. Ridiculum enim (vt ita loquar) est, principium huius cap. ex vno concilio, & versic. Placuit; ex altero esse desumptum, atq; ita ex duobus compactum, cum totum emanauerit ab illo Africano concilio, cuius proximè mentionem fecimus. Quod in principio huius tituli collocatum noscitur, vt sciunt iudices, reum in iudicio competente non comparentem posse excommunicari; ac proindè monitionis omittenda mentio non fuit, si in casu proposito requireretur; quã fingere interuenisse, nobis non licet.

34 Omisso itaq; Alci. intellectu, quia diuinationis morbo laborat; videamus breuitèr an aliqua nitatur veritate, quem ex Rip. ad hunc locum nu. 81. Salmantini tradere soliti fuere. Constituunt igitur, Episcopum non semèl, sed bìs in iudicium fuisse vocatum: primò cum fuit ad concilium introductus, secundò cum altera die respondit, sibi non placere, atq; discessit. Decipiuntur tamèn in eo, quòd nostra dubitatio non est, an interuenerit citatio ad condemnationem necessaria, necne, sed monitio postea facienda delicto iàm cõmisso, ac perpetrato, vt peccator resipiscat, antequàm excõmunicetur: quarè cùm nulla adesset causa ferendi excommunicationem nisi post contumatiam, & tùnc monitio facta nõ proponatur, consequens

consequens est, vt dicamus, sine ea fuisse latam.

35 Nullo tamèn negotio difficultas hęc componitur, si aduertamus, Episcopum à concilio discedentem, antequàm eius causa terminetur, venire excommunicatione plectendum, in c. certum est, 43. 11. q. 3. quæ absq; vlla potest monitione proferri; cum hæc solùm requiratur, vt iudex considerare valeat, an peccator resipiscere, & ecclesiæ mandatis velit parere, vt ita eius contumacia conuincatur, de qua cùm planè constet in Episcopo à synodo discedente, mirum non est, si absq; monitione possit communione fidelium priuari; cùm iàm sit à iure monitus, nè ante causæ exitum discedat in d. c. certum est. Quod cũ in specie huius cap. contigisse appareat, optima ratione episcopus fuit excommunicatus, arg. c. venerabilibus, 7. §. porrò, vers. secùs autèm, de sent. excom. lib. 6. notauimus sup. num. 8.

36 Ad secundum membrum supra traditæ argumentationis, nempè pro causa leui fuisse episcopum excõmunicatum, erit omninò negandum argumenti assumptum, ac sine vlla dubitatione dicendum, non quidèm pro leui, imò potiùs pro graui causa fuisse Quoduultdeum interrogatum, an vellet in concilio cum aduersario experiri. De graui enim crimine fuit accusatus, quod ex eo conijcitur, nam eo probato, atq; ita causa ad exitum perducta, fortassis poterat episcopatu priuari, vt insinuãt illa verba, *nam adimi sibi episcopatum ante causæ eius exitum nulli potest iure videri*. Atq; ideò pro graui illa contumacia summa

cum

cam ratione fuit excommunicatus, quę ideò grauior fuit, quia facilè potuit iustam recedendi causam allegare, & licentiam à concilio impetrare: quòd cùm non fecisset, imò cum expresso contemptu recessisset, & Patrum authoritatem spreuisset, iustè fuit excommunicatione innodatus; quę tantò iustior fuit, quantò grauior contumacia. Quò spectant ea, quæ satis confusè interpretes ad hunc locum tradidere.

37 Tandèm, vt vltima accedat manus explanationi verborum cap. nostri, supersunt interpretanda illa. *Nam adimi sibi episcopatum ante causæ eius exitum nulli potest iure vinderi.* Quæ, nisi causa ad exitum per ducta, neminem esse episcopatu priuandum, clarè significant. Hinc scribentes ad hunc locum in controuer-
38 siam vocant. † An concilium prouinciale possit episcopos suis dignitatibus priuare, an hoc ad Pontificem pertineat. In quo articulo non desunt, qui posse defendant ducti primùm ex hoc vers. nam adimi, sumpto argumento à contrario sensu, quod in iure admittitur l. 1. §. huius rei, D. de offic. eius. cum traditis ab Euerard. loco à contrario sensu. Ex quo apparet, finita causa, Quoduultdeum potuisse concilij iudicio episcopatu priuari; certoq; certius est, tale concilium fuisse prouinciale, vt ostendimus sup. nu. 26. Quæ sententia, nullo quæsito argumento, probatur expresse in c. 1. & c. 2. 6. q. 4. c. si quis. 6. & 7. c. episcopus, 65. 11. q. 3. c. si episcopum 3. 16. q. 6. & c. si quis. 2. 21. q. 5.

39 Negant tamèn nonnulli, hoc concilium Africa-

H num

num facere potuisse, vt constat ex Imol. nu. 21. Dec. 2. lect. nu. 31. Mant. 22. ad hunc locum, quorum iudicium approbat Sarmien. lib. 1. select. c. 14. nu. 8. ducuntur authoritate tex. in c. accusatus, 5. cũ seq. 3. q. 6. & c. 2. in princ. de translat. episcop. quibus cauetur, ad Pontificẽ pertinere episcopos deponere.

40 Mediam viam eligunt alij existimantes, quòd licèt conciliũ prouinciale non possit episcopos deponere, potest tamèn deponendos pronunciare, docent glo. verb. adnotauerit, in c. biduum, §. si quem, 2. q. 6. & glos. verb. si mediocris, in c. frater, 52. 16. quæst. 1. quas approbarunt Anton. & Felin. nu. 23. Burg. nu. 32. & Bosch. 67. ad hunc locum. Quæ sententia probatur arg. l. 1. §. 1. vers. deportatos, D. de leg. 3. l. inter pœnas, 6. D. de interd. & releg. & l. 1. in princ. D. quando appell. sit, d. c. biduum, §. si quem, quibus in iuribus Præses, qui nõ potest deportare, potest pronunciare reum esse deportandum.

41 Negantium iudicium existimo approbandũ, quod hodierno vsu sine vlla dubitatione procedit ex decis. sac. Trid. conc. sess. 24. de reform. c. 5. quia dispositum est, vt causæ graues episcoporum, quæ depositione, aut priuatione dignæ sunt, non decidantur in concilio prouinciali, aut à Metropollytano, sed à Romano tantùm Pontif. referunt Marc. Anton. lib. 2. inst. tit. 6. nu. 398. Anast. Germ. lib. 3. de sacr.

42 immun. c. 7. nu. 43. † Imò quod maiùs quiddam est, nec citari possunt episcopi, vt personalitèr comparant, nisi obcausas, ex quibus deponendi, aut priuandi

uandi ſunt, ſi probantur, ex eod. concil. ſeſſ. 13. c. 6. Quod anteà Pij Quarti conſtitutione cautum erat, quæ inter eius extat conſtitutiones; cuius meminere Mandos. tract. de monit. c. 4. ad fin. Flam. lib. 1. de reſign. benef. q. 10. nu. 38.

43 Affirmantium fundamenta parui momenti ſunt, nam illud arg. à contrario ſenſu iuris diſpoſitione repugnante nō procedit c. Ioſeph. 5. de verb. ſignif. & l. conuenticula, 15. C. de epiſc. & cler. Neq; enim in hoc cap. probatur, Quoduultdeum priuari potuiſſe epiſcopatu ab Africano Concilio; Sed tantùm docent patres, nulli hominum ſecundum iurium diſpoſitionem videri, quem eſſe epiſcopatu priuandum, antequàm cauſa ad exitum perducatur; hoc eſt antequàm diffinitiua ſententia declaretur, epiſcopum ob ſua delicta eſſe deponendum; non autèm deciditur, potuiſſe priuari à concilio, atq; ita tanquàm caſus omiſſus relictus cenſetur aliorum iurium diſpoſitioni, nempè d. c. accuſatus, & d. c. 2. ita vt Summi Pontif. authoritas requiratur, ſi finita cauſa appareat,

44 epiſcopum venire priuāndum. † Cœtera autèm iura ibi adducta cum Duareno de ſac. eccl. min. lib. 1. c. 11. de priſcis illis temporibus ſunt accipienda, quibus cauſæ etiàm grauiſſimæ epiſcoporum in prouincialibus concilijs tractari, ac terminari poterant: tùnc enim Pontifices Romani Imperatorum iniuria adeò in humili ſtatu iacebant, vt nec ſe ipſos defendere poſſent; quamprimùm tamèn edidere deciſionē d. c. accuſatus, qua poteſtas deponendi epiſcopos

ipsis fuit delata, & à Trid. Conc. confirmata.

45 Eorum tamèn, qui mediam viam sequuntur, fundamentum cessat, si animaduertamus, illis in iuribus tantùm probari; *Præsides adnotare debere, quotiès aliquem in insulam deportandum putant, nomenq; eius scribendum esse Principi, vt in insulam deportetur*. ita enim ratiocinatur Vlp. in d.l.inter pœnas, §.Præsides, nō enim possunt deportare, l.2. §. constat. D. de pœn. Pariq; ratione existimo, concilium Africanum, & quodlibet aliud prouinciale Rom. Pontif. admonere potuisse, delictum à Quoduultdeo commissum depositione dignum esse, non tamèn eum deponere, aut deponendum potuisse pronunciare.

46 Nec refragatur l. relegatorum. 7. in princ. D. de interd. & releg. vbi Præsidibus licèt relegare; nam ex §. hæc est, eiusdem legis constituenda est differentia inter deportationem, & relegationem; illa enim Præfectis Prætorio, ac Vrbi permittitur, hæc Præsidibus, l. capitalium, 28. l. metrodorum, 40. D. de pœn. Conan. lib. 2. com. c. 3. Cuiat. in operib. posth. ad l. eius. 8. §. si cui. D. de testam. Quæ breuitèr dicta sufficiant ad interpretationem huius cap. de quo alij multa dixere.

Hactenùs de Cap. I.

CAP.

C. DECERNIMVS. II. de Iudicijs Interpretatio

ECCLESIASTICAE, AC SECVLARIS IVRISDICTIONIS TRACTATVM CONTINENS.



VLTIS abhinc annis incredibile me tenebat desiderium in lucem edendi vulgaris admodum, sed malè intellecti Reminensis concilij fragmenti enucleationē, quod in c. decernimus 2. de iudicijs, habemus. Nec sine ratione, cum in eo disceptetur de spirituali, & temporali, ecclesiastica, & seculari iurisdictione, ac potestate, quæ quot lites in toto Christiano orbe pariat, experientia rerum omnium magistra cotidiè nos docet. Præsentem igitur disputationem in tres principes diuidam partes; quarū prima continebit præludia quædam summè necessaria ad huius cap. intelligentiam; secunda verborum expositionem cum rationibus dubitandi, ac decidendi amplectetur; in vltima praxi frequentiores, & in rigore disputationis quęstiones excitabimus difficiliores, excitatas agitabimus, eas à sinistrarum opinionum claustris annuente Deo liberantes.

PRI-

PRIMA PARS INTERPRETATIONIS

CAP. DECERNIMVS. II.

DE IVDICIIS.

Summa capita in ea contenta.

1 *DVabus potestatibus Pontificia, & Regia mundus regitur.*
2 *Cur mundus his duabus regatur potestatibus.*
3 *Vnde habuerunt originem huiusmodi potestates.*
4 *Spiritualis potestas una ordinis, altera iurisdictionis est:*
5 *Quæ à Diuo Petro in Prælatos inferiores fuit deriuata.*
6 *Prælati fere semper ordinariam habent iurisdictionem.*
7 *Quotuplices sint ecclesiasticæ causæ, & quid sit considerandum in eis distinguendis.*
8 *Quid sit causa merè ecclesiastica.*
9 *Quid causa ecclesiastica non merè.*
10 *Tàm causa merè ecclesiastica quam non merè ad forum ecclesiasticum pertinet.*
11 *Quid sit causa merè temporalis.*
12 *Quid causa mixta.*

1 DVo sunt, quibus principalitèr hic, quem videmus, regitur mundus, authoritas sacerdotum, & Regalis potestas: fecit enim Deus duo luminaria magna in firmamēto cœli, cum in vniuersali ecclesia has præstantissimas instituit dignita-

tes,

tes. Sed quanuis sacerdotalis, & Regia authoritas longè omnes, multùmq; superent, illa tamen eo præstantior est, quo terrenis cœlestia, sempiterna caducis, & humanis diuina excellunt. Fecit itaq; Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti: authoritas sacerdotalis nitidissimi solis instar ad res diuinas, quæ sereni diei imaginem præ se ferunt, præcipuè ordinatur; Regia quasi luna ad temporales, quæ quidèm nõ secùs ac nox, obscuræ, & luctuosę mœroris, erumnarum, ac solicitudinis plenæ sunt, Luna Solis lumine illustratur, Regia potestas à sacerdotali accipit splendorem, hac fulgente, adeo illa extenuatur, vt si vtramq; inuicèm comparemus, quasi aurum plumbo conferre videamur. Sed ne in benè partitèq; loquendo longè exactiorem curam, quam res postulat, nos adhibere quis arbitretur, canonistarũ more loquendo præmittendum existimaui. Duabus distinctis potestatibus vniuersum orbem regi, ac gubernari ecclesiastica, & seculari, c. quoniam. 8. 10. dist. c. cum, 6. c. duo sunt. 10. c. si Imperator. 11. 96. dist. c. solitæ, 6. §. præterea, de maior. & obed. & c. nouit. 13. hui. tit.

2 Cuius distinctionis ea est ratio, nam hominum duo sunt genera, vnum clericorum, hoc est, in sorté Domini electorum, alterum laicorum, id est, populariũ; c. duo sunt genera. 7. 12. q. 1. Petrus Gregor. lib. 16. syntagm. c. 1. nu. 2. Quare populi appellatione strictè sumpto vocabulo clerici non comprehenduntur

c. I.

c. 1. de præb. & dign. Doct. cõmuniter præcipuè Felin. ac Dec. ad c. ecclesia, 10. de constit, veriùs tamen est, ex lata significatione populi appellatione etiam clericos venire, arg. l. assumptio. 6. D. ad municip. & l. ciues, 7. C. de incol. lib. 10. quod ad vtiles in forensi vsu quæstiones applicarunt Old. conf. 32. Lap. alleg. 101.

3 Vtraq; potestas tam ecclesiastica, quàm temporalis diuinitùs fuit instituta Paul. ad Rom. c. 13. *non est potestas nisi à Deo*, c. quo iure, 1. 8. dist. & Auth. quomodo oport. episco. coll. 1. Ecclesiastica potestas, seu spiritualis est à Christo ipso diuinitus instituta ad gubernandos Christianos secundum legem euangelicam in supernaturalibus, & quatenus illa est opus etiam in naturalibus. Temporalis autem, seu secularis est à Deo data mortalium communitati ad se gubernandos in rebus naturalibus, vt benè, beatèq; viuant secundum rationem naturalem; tradunt Nauar. ad d. c. nouit, not. 8. nu. 81. & 85. Victor. in relect. de pot. eccl. in princ. & Molin. 1. tom. de iust. & iure tract. 2. disput. 21.

4 Potestas spiritualis duplex est, vna ordinis, altera iurisdictionis. Ordinis potestas fuit instituta à Christo salutis humanæ vindice in vltima cœna illis verbis, *hoc facite in meam commemorationem*, quasi diceret, accipite potestatem faciendi hoc, id est, consecrandi; Matth. c. 26. Trid. sess. 22. can. 2. Suar. 3. tom. q. 73. disp. 41. sect. 1. Iurisdictionis verò potestas permissa fuit Diuo Petro, & successoribus ipsius.

illis

illis verbis, *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, Math. c. 16. & tradita per illa, *pasce oues meas*, Ioan. vlt. c. ita dominus, 7. 19. dist. c. in nouo, 2. 21. dist. & c. quod cumq; 6. 24. q. 1.

5 Spiritualis autem potestas à Diuo Petro tanquam à capite in cœteros inferiores Prælatos, veluti membra deriuata est; nam cum Roman. Pontif. Sum. vniuersalis ecclesiæ Præsul ad singulas prouincias personaliter accedere non posset, eius authoritate diuisæ fuere prouintiæ, & Parochiæ, & singulis attributi episcopi, ac inferiores Prælati, qui curam, ac solicitudinem habeant ouium Christi, quæ Petri, & successorũ gubernationi fuerunt cõmissæ, c. 1. & 2. 80. dist. c. prouintiæ, 1. 99. dist. & c. pastoralis, 9. de ijs quæ fiun. à prælat. Quod quidem tacitè videtur Petro, & successoribus à Christo præceptum in c. mandata, 6. de præsumption. Ideoq; solus Rom. Pontif. censetur vocatus in plenitudinem potestatis; cœteri verò inferiores Prælati in partẽ solicitudinis, c. ad honorem, 4. de aut. & vsu pall. Priuatiuè equidèm, vnusquisq; namq; in sua diœcesi, c. scitote, 2. 6. q. 3. c. nullus alterius 1. 9. q. 2. & c. significasti. 18. de for. comp. Vndè fit, non solum in episcopos, sed etiã in alios inferiores prælatos deriuatam fuisse hanc ecclesiasticam potestatem, quod significat tex. in hoc c. 2. illis verbis, *Abbates, Archidiaconi, & alij ecclesiarum Prælati*, c. cum ab ecclesiarum, 3. c. irrefragabili, 13. de offic. ord. c. cum contingat, 13. de foro comp. c. cum ex officij, 16. c. cum olim, 18. c.

6 veniens. 19, de præscription. † Omnes enim Prælati, ferè semper ordinariam dicuntur habere iurisdictionem, cum iure, vel consuetudine ea vtantur, c. ordinarij, 3. de offic. ord. in 6. c. si soli, 6. vbi glos. verb. ordinario, de concess. præb. eod. lib. glos. verb. ecclesiarum, ita intelligenda in hoc c. 2. vbi Abb. num, 16. Dec. 8. ex quibus habemus originem, & progressum ecclesiasticæ iurisdictionis.

7 Præterea erit obseruandum, in iure Pontificio inueniri quædam negotia merè ecclesiastica; quædam ecclesiastica, sed non merè; alia merè temporalia; ac tandem nonnulla mixta, seu (vt rectius loquar) fori mixti, c. vt inquisitionis, 18. §. prohibemus, de hæretic. lib. 6. illis in verbis, *merè ecclesiasticum*, quæ verba supponunt, dari aliud ecclesiasticum non merè, vt denotat tex. in c. super eo. 12. de appell. ibi, *in causis quoq; ecclesiasticis*. tex. vbi glos. vlt. in Auth. clericus, C. de episc. & cler. glos. & Doct. in sum. 11. q. 1. Ad quorum negotiorum naturam exponendam considerare oportebit, in eis distinguendis non debere attendi prohibitionem, originem, seu legem, à qua inceperunt, sed potius potestatem cognoscendi, seu disponendi, aut forum, in quo singula agitari, & discuti possunt, ac debent, vt deprehenditur ex hoc c. 2. ex d. §. prohibemus, & ex cap. cum sit, 8. de for. comp. In quibus non habetur ratio prohibitionis originis, seu legis, à quibus emanarunt huiusmodi causæ; sed facultatis tractandi, & potestatis iudicandi, & iudicum, apud quos, & fori, in quo tra-

ctari, ac iudicari debent, vt expressè probat tex. in cap. quoniam, 4. versic. nos, de immun. eccl. lib. 6. ibi, *super causis ecclesiasticis, siue quae ad forum ecclesiasticum pertinent*. Et satis ostendunt verba illa, *causa est mixti fori*, quibus passim Doct. nostri in hac materia vtuntur; quae nihil habent commune cum prohibitione, origine, aut lege; sed denotant forum, in quo causae agitari debent.

8 Ex qua obseruatione constituo, causā merè ecclesiasticam appellari illam, quae ex se, & sua natura non nisi per spiritualium supernaturalium cognitionem determinari valet: & vt talis ad merè ecclesiasticam, ac proindè ad supernaturalem iurisdictionē pertinet, vt constat ex d. §. prohibemus. Causae quippe omnes spirituales, in quibus de ecclesiae sacramētis, de fide catholica, de censuris, de clauibus ecclesiae, beneficijs, ac decimis agitur, deq; alijs relatis in Clem. 2. hui. tit. merè ecclesiasticae sunt, vt in illis verbis cap. nostri, *maximè de illis, quae spiritualia esse noscuntur*. c. tuam, 3. de ordin. cognit. c. causam quę, 4. qui fil. sint leg. Illa enim verba, *quae spiritualia sunt*, referuntur ad causas merè ecclesiasticas, quae spirituales sunt, licèt generali nomine ecclesiasticae soleant appellari.

9 Causae verò ecclesiasticae non merè dicuntur illae omnes, quae quanuìs ex se, & natura sua profanę sint, & absq; huiusmodi spiritualium supernaturalium diffiniri valeant cognitione; nihilominus iustis de causis ecclesiastico dumtaxat iudicio sunt reseruatae, d. c.

 quoniam

quoniam, in relatis verbis, *super causis ecclesiasticis, seu quae ad forum ecclesiasticũ pertinent*, de immun. eccl. in 6. quae supponere videntur, dari nonnullas causas ad ecclesiasticum forum pertinentes, quae tamen ex se, & natura sua non sunt ecclesiasticę; quod eleganter insinuat Trid. locus sess. 24. de ref. cap. 20. dum significat, non vno tantum, sed multis modis posse causas ad ecclesiasticum forum pertinere, scilicèt quasdam ex se, & natura sua, quales sunt merè ecclesiasticae, (de quibus proximiori numero diximus) quasdam verò non ita, sed ex reseruatione, & iure constituto, quales sunt non merè ecclesiasticae. †

10 Omnes igitur ecclesiarum, & clericorum causae tàm ciuiles, quàm criminales, quae cum ex se, & natura sua temporales essent, ac profanae, ac subindè antea ad laicorum iurisdictionem pertinerent, vt constat ex titulis Cod. de sacros. eccles. & de episcop. & cler. posteà Imperatorum permissu, vt in Auth. statuimus, C. de Epis. & cler. & in Auth. vt cler. apud prop. episc. coll. 6. siuè Pontificum, aut conciliorũ decretis, vt in hoc cap. 2. & in cap. si diligenti. 12. de foro comp. siue laudabili consuetudine, d. cap. quoniam, ibi, *antiqua consuetudine*, cap. 2. de exception. lib. 6. siuè potiùs, & veriùs iure ipso diuino, & naturali, (vt in sec. par. ad rat. decid. num. 7. explicabimus) ecclesiastico tantùm iudicio reseruatae dicuntur, ecclesiasticaeq; appellantur; quia pertinent ad iurisdictionem, & forum ecclesiae.

11 Tertia causarum species in proposito nostro illa

est,

est, quòd quædam sunt causæ merè temporales ita dictæ, ac appellatæ, quia ex se, ac natura sua absq; cognitione spiritualium supernaturalium deciduntur, & in totum pertinent ad forum seculare d. cap. quoniam, 8. 10. dist. d. cap. solitæ, 6. de maior. & obed. d. cap. nouit. 13. huius tit. vnde causę omnes ciuiles, & criminales laicorum ad solius laici Principis iurisdictionem spectantes merè temporales, ac profanæ appellantur, & sunt; quia in eis de rebus secularibus tractatur, & apud seculares iudices discutiuntur, ac deciduntur.

12 Tandem causa mixta, seu mixti fori illa est, quæ licet ex se, & natura sua temporalis sit, iure tamen aliquo ad ecclesiasticam, vel temporalem iurisdictionē spectat, & ab ecclesiastico, vel seculari iudice diffiniri potest contra laicos, ita vt liberum sit actori, quē maluerit iudicem adire, ac inter ecclesiasticū, & secularem preuentioni locus sit, d c. cum sit generale, 8. de for. comp. Quod intelligendum est contra laicos, quia contra clericos seculares præuentionem nō habent propter reseruationem, & exemptionem similium personarum. Causæ mixtæ exemplum esse potest causa vsurarum, vt in c. ad nostram, 20. de iure iur. cap. post miserabilem, 12. de vsur. ex qua coram ecclesiastico laicus trahi potest ratione peccati, vt in d. cap. nouit, versic. licet: cum finis Pontificij iuris sit, vitare omne peccatum, cap. final. de præscription. Quæ omnia summè notanda sunt ad interpretotionem huius cap. & similium, in quibus

plurimæ

plurimę causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes, quarum nonnullæ spirituales, & merè ecclesiasticæ, aliæ ecclesiasticæ nō merè, ac deniq; nonnullæ mixti fori referuntur. Et hæc, quod ad primam interpretationis partem pertinet, satis dixisse, sufficiat.

SECVNDA PARS INTERPRETATIONIS

CAP. DECERNIMVS. II.

DE IVDICIIS.

Summa capita in ea contenta.

1 *Cap. nostri refertur Prototypus.*
2 *Emendatur litera cap. nostri.*
3 *Eius verba referuntur.*
4 *Laici ecclesiastica tractare negotia non possunt.*
5 *Ratio, cur laici non valeant, de ecclesiasticis cognoscere negotijs.*
6 *Quo iure sit hoc introductum.*
7 *Defenditur, diuino iure inductum esse.*
8 *Moralia præcepta semper obligant.*
9 *Interpretantur c. omnis, de censib. & c. magnū, 11. q. 1.*
10 *Verbū* decernimus *de quo in hoc cap. intelligitur secundum subiectam materiam.*
11 *Laici sunt incapaces non solū cognoscendi de causis merè ecclesiasticis, sed etiā de ecclesiasticis simpliciter.*
12 *An laici in negotijs ecclesiasticis possint esse arbitri.*

13 *Arbi-*

13 *Arbitrorum duo sunt genera.*
14 *In quo differant iuris arbitri ab illis, quos vocant arbitratores.*
15 *Laici possunt esse arbitri in causis ecclesiasticis.*
16 *Interpretatur cap. nostrum in vers. tractare.*
17 *Explicatur l. 1. D. de recep. arbitr.*
18 *Declarantur c. contingit, & c. per tuas, de arbitr.*
19 *Laici in spiritualibus ex Innoc. III. decreto arbitri esse non possunt.*
20 *Cognitio ecclesiasticarum causarum potest laicis à Pontifice mandari:*
21 *Exceptis ijs, quae ad ordines pertinent.*
22 *Vtrum ab Episcopo valeat mandari.*
23 *Episcopus non potest laicũ constituere Vicariũ, quẽ vocant generalẽ.*
24 *Potest tamen ecclesiasticas causas laicis mandare.*
25 *Rejicitur distinctio glo. nostrae verb. praesumant.*
26 *Interpretatur c. cum te, de offic. deleg.*
27 *Exponitur c. significasti, de foro comp.*
28 *Episcopi Vicarius ordinariã censetur habere iurisdictionẽ.*
29 *Exponitur c. 2. de offic. legat. in 6.*
30 *Laicus de causa feudali contra clericũ valet cognoscere.*
31 *Interpretatur c. filijs vel nepotibus, 16. q. 7.*
32 *Explicatur c. cum non, hui. tit.*
33 *An laicus possit detinere, ac punire clericum, qui dimisso habitu, ac tonsura secularibus se negotijs immiscet, absq; eo quòd moneat.*
34 *Monitionem requiri defenditur.*
35 *Declaratur c. 1. de Apostatis.*
36 *C. perpendimus, de sent. excom.*
37 *C. ex parte, de priuileg.*

Caput

1 CAPVT hoc desumptum noscitur ex concilij Reminensis, c. 4. celebrati ab Eugen. II. Rom. Pontif. anno humanę salutis. 829. quod habetur tom. 3. concil. inter decreta eiusd. Pontif. vt obseruat Ant. Aug. in notis ad primam collect. Decretal. lib. 2. ad hoc. cap. Quidquid contradicat Anast. Germon. lib. 2. animad. c. 1. existimans esse decerptum ex Cauilonensi Concilio in Gallia habito nauiculam Petri gubernante Eugen. I. anno. 650. cuius cauillatio ita facilè conuincitur ex d. c. 4. Remin. conc. vt omnem respuat confutationē.

2 † Cognitione tamen dignum est, literam hui. cap. in vulgatis codicibus mendosam esse, in quibus ita legitur, *Abbates, Archiepiscopi, & alij ecclesiarum praleti*, sed est legendum, *Abbates, Archidiaconi*, nam esset absurdum Abbates Archiepiscopis prẹferre, atq; ita

3 legit Cuiat. in recitat. ad hunc textum. † His iactis, sine quibus vera intelligentia percipi nō valet, inquit Eugen. *Decernimus, vt laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant. Sed Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alij ecclesiarum prælati de negotijs ecclesiasticis (maximè de illis, quæ spiritualia esse noscuntur) laicorum iudicio non disponant; Nec propter eorum prohibitionem ecclesiasticam dimittant iustitiam exercere.*

4 Huiusce capitis ea est sententia. *Laicos ecclesiastica tractare negotia non posse, sed Prælatorum ecclesiæ iudicio esse disponenda.* Quæ adeo in iure nostro probata est, vt ad eius confirmationem sit inutile testimonia afferre, quæ tamen referam, vt quisq; intelligat, hic

dicta

dicta illùc etiam spectare. Eadem quippè sententia est c. quanto. 3. c. at si clerici. 4. c. clerici. 8. c. cum non. 10. c. nouit. 13. & c. qualiter. 17. hui. tit. c. 1. 2. 3. 4. c. cum sit. 8. c. si diligenti. 12. & c. significasti. 18. de for. comp. c. quæ in ecclesiarũ. 7. c. ecclesia. 10. de const. c. solitæ. 6. de maior. & obed. c. contingit, 8. de arbitr. & c. vlt. de reb. eccl. In decreto autem Graciani passim inueniuntur iura, quæ ipsã probant, præsertim dist. 96. & cau. 11. q. 1. Nec desunt iure Cæsareo, cum adsint Auth. statuimus, C. de episc. & cler. & Auth. vt cler. apud propr. episc. coll. 6.

5 Cuius sententiæ ea est ratio, nam spiritualis potestas ab humani generis Saluatore Diuo Petro, & successoribus fuit concessa, & ab eis in cœteros inferiores Prælatos deriuata (vt in 1. par. nu. 5. dicebam) vnde laici ab ea exclusi censentur, arg. l. cum prætor. 12. D. hoc tit. atq; ita lege diuina sunt incapaces ecclesiasticæ iurisdictionis, c. ita dominus. 7. 19. dist. c. benè quidèm, 1. c. cum ad verum. 6. & c. si Imperator. 11. 96. dist. Sed hanc rationem (quàm verissimam iudico) ex eo nonnulli conantur subuertere, quòd tantum militet in causis merè ecclesiasticis, seu spiritualibus, quæ à potestate spirituali à Christo instituta pendent; non verò in cœteris causis, non merè ecclesiasticis, quæ temporales sunt (ex dictis 1. par. nu. 9.) & in hoc cap. vtræq; comprehendũtur, vt illa insinuant verba, *ecclesiastica tractare negotia*, & illa *maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur*. Igitur quærenda alia ratio est, quæ vtrisq; conueniat.

conueniat. Sed cum tradita rectissima sit, vt nonnullorum reijciamus argutias, quibus clericorum immunitas odiosa videtur, in disceptationem vocemus.

6 Quo iure sit introductum, *ne laici valeant ecclesiastica tractare negotia*. In qua sunt, qui existiment, Pontificio iure immunitatem hanc clericis competere. Primùm, quia ea sola iuris diuini esse dicuntur, quæ in sacra scriptura continentur, c. humanum. 1. dist. c. quo iure, 8. dist. Sed hæc immunitas in euangelica lege speciatìm non inuenitur expressa, vt ostendit Couarr. lib. vni. pract. c. 31. igitur iuri Pontificio erit ascribenda. Deindè, nam in primis nascentis ecclesiæ temporibus clerici erant Principibus seculi subiecti, quod diuino, & humano iure ita ostenditur. Diuino ex 1. Petr. cap. 2. c. magnum, 28. 11. q. 1. & ex Paul. ad Rom. c. 13. c. omnis, 2. de censib. & ex illo act. c. 25. *ad tribunal Cæsaris sto, vbi oportet me iudicari*. Et ibi, *Cæsarem appello*. Humano ex l. placet, 5. C. de sacros. Eccles. l. cum clerici, 25. l. omnes, 31. C. de episc. & cler. Imo verò quod maius est, laici de fide catholica, ac ecclesiæ sacramentis cognoscebant, l. 1. cum seq. C. de sum. trin. & fid. cath. & l. 1. & per tot. tit. C. ne sacrum bapt. iter. Postremò perpenduntur priora verba cap. nostri *decernimus vt laici*, ponderando verbum, *decernimus*, quod ius nouum inducit, l. Decernimus, 16. C. de sacros. eccl. c. Decernimus, 32. 16. q. 7. Clem. fin. de ætate, & qual. vbi glos. verb. decernimus, glos. eod. verb. in Clem. per literas, 2. de præb. Abb. nu. fin. Dec. eod.

num.

num. ad hunc locum. Igitur ex hoc cap. concluditur, clericorum exemptionem (Canonistarum verbo liceat uti) tàm quoad spiritualia, quàm temporalia negotia à iure positiuo processisse, ac dimanasse, vt voluerunt plures relati à Sot. in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. Couarr. loco proximè citato, & Ceuall. pract. quæst. q. 150.

7 Verùm enim verò hanc ipsam clericorum immunitatem, qua à laicorum potestate, & iurisdictione eximuntur, nō solum quod ad spirituales causas attinet; (de quibus nulla congrua dubitatio esse potest) verum etiam quod ad temporales ciuiles nempè, ac criminales pertinet, iure diuino inuentam fuisse, ex sequentibus patebit omnibus. Primùm, nam si hæc immunitas humano tantum iure esset inducta, vtiq; contraria consuetudine saltem hominum memoriam excedente tolli, aut derogari posset, c. fin. de cons. l. de quibus, 32. D. de legib. & l. 2. C. quæ sit longa cons. quod tamen negatur in c. clerici. 8. hui. tit. & decisum fuit in rota decis. 10. de consuet. in antiq. resoluitq; post alios Farinat. 1. tom. crim. tit. de inquisit. q. 8. Igitur iure diuino, vt dicitur Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos*. Math. 17. *ergo filij liberi sunt*. Quod & antiqui testamenti authoritate probatur Genes. c. 47. relata in c. tributum, 22. §. quanuis, 23. q. 8. *Domino tunc pronunciante in omni genere sacerdotes liberos esse oportere*. Et lib. 1. Esdr. c. 7. *vobis quoq; notum facimus de vniuersis sacerdotibus, & leuitis, vt vectigal, tributum, & annonam non habeatis potestatem*

imponendi super eos, c. quoniam, 4. de censib. lib. 6. ill is in verb. *cum igitur ecclesiæ, ecclesiasticæq; personæ, ac res ipsarum non solum iure humano, quinimo, & diuino à secularium personarū exactione sint immunes*. Præterea quia clerici in sortem Domini sunt vocati, ac diuino cultui mancipati, c. duo sunt, 7. 12. q. 1. quo ipso à laicorum potestate dicuntur exempti, c. quod semel, 51. de reg. iur. in 6. Sacræq; res, & oblatæ dicuntur esse Dei, & per consequens in nullius hominis dominio, vel vsu possunt esse, l. 8. l. 9. D. de rer. diuis. §. nullius, inst. eod. quod vtiq; in clericis locum habebit, cum de rebus ad personas liceat argumentari, l. qui furere, 20. D. de statu hom. Quod clarè probatur ex Concil. Lateran. sub Leon. X. sess. 9. *cum à iure tàm diuino, quàm humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas tributa sit*. Ex Trid. sess. 25. c. 20. de reform. *Dei ordinatione, tanquam Dei præcipua*; c. si Imperator, 11. 96. dist. vbi Ioan. Pap. testatur, clericos ex diuina institutione non à Principibus secularibus, sed ab ecclesiæ Prælatis esse ordinandos, c. continua, 5. c. Siluester, 13. c. Sacerdotibus. 41. 11. q. 1. c. futuram. 15. 12. q. 1. c. nimis. 30. de iure iur. & c. non minus, 4. de immun. ecclesf. Vltimò, ex l. fin. C. de episc. & cler. in Cod. Theodos. ibi, *fas non est, vt diuini muneris ministri temporalibus subdantur potestatibus*. Quibus fundamentis communiter Doct. existimant ad hunc locum, & ad c. 2. de maior. & obed. lege diuina ecclesias, clericos, eorumq; bona à secularibus Principibus liberos fuisse; neq; vnquam eis

licuisse

licuisse temporalē iurisdictionē in clericos exercere defendūt Anast.lib. 1. de sacror.imm.c. 11.& 13.& relati à Cenedo in collectan. ad Decretal.c. 37.& 57.

Cui sententiæ non obstat dicere, nullā esse diuinę legis authoritatē, qua immunes sint clerici à laicorū potestate; cum falsū sit ex ijs, quæ proximè adduximus; quia ēt illę Gen.& Esd. in viridi sunt obseruātia; nam & si, adueniente lege gratiæ, sint abrogata ceremonialia, iudicialiaq; pręcepta, (de quibus intelligūtur tex. in c. translato, 3. de constit.& in c. vnic. de purif. post part.)

8 † Nō tamē sūt abrogata moralia, idest, quæ continent, vel declarant ius naturale; quæ quidē nunc ēt obligāt, & obligabunt semper c. fin. de consuet. §. sed naturalia, inst. de iure nat. Et præceptū hoc de honore exhibendo sacerdotibus, vt potè spiritualibus parentibus ad ius naturale spectat, cum dependeat ab illa potestate, de qua in 1. par. nu. 3. egimus.

9 Deindè nō refragantur Diuorū Apost. Petr.& Pau. authoritates, cū tantùm probent Principibus secularibus à clericis esse exhibendā reuerentiā ob meritū humilitatis, propter defensionē, & protectionē, quā in clericos, & ecclesias debent exercere; non propter authoritatē, & iurisdictionē, vt colligitur ex c. solitę, 6. de maior.& obed. Rursùs leges ciuiles, de quibus in tit. C. de sacros. eccles. ac de episc.& cleric. toleratæ magis, quàm approbatæ fuerunt à Pontif. ob maximā Imperatorū potentiam, & vt faciliùs catholica fides propagaretur; atq; ideo cum primùm ecclesia potestatē habuit exequēdi sanctorū patruum traditiones

ex

ex l. diuina deductas, illis vsa fuit, & Cœsareas leges abrogauit, c. bene quidem, 1. 96. dist. tribunalia erexit, ecclesiasticisq; negotijs formam præscripsit, c. 1. cum seq. 11. q. 1. & in hoc tit. & in seq. de foro competente, & excommunicationis pœnam cõtra laicos aliud statuentes imposuit, in c. non minus. 4. & in c. aduersus, 7. de immun. eccles.

10 Tandèm argumento ex verbo *decernimus*, hui. cap. desumpto erit respondendum, quòd licèt ferè semper verbum *dernimus* soleat ius nouum inducere, aliquandò tamen secundum subiectam materiam ius antiquum declarat, arg. c. ad audientiam, 15. iuncto c. de cœtero, 7. de cleric. non resid. Abb. & Dec. nu. fin. Rip. 1. ad hunc locum glos. verb. & discuti in d. c. si Imperator. 96. dist. quæ rectè sentit, omnes constitutiones, quæ emanarun super eo, quòd clerici non sunt à laicis iudicandi, non continere ius nouum, sed iuris tantùm diuini declarationem; quod dictum probatur arg. l. si quis, 5. D. de liber. agnosc. iuncta l. 1. §. huius studij, D. de iust. & iure.

11 Ex quibus omnibus iam cõstat, laicos non solùm esse incapaces cognosendi de causis spiritualibus, seù merè ecclesiasticis, verùm etiam de causis ciuilibus, & criminalibus clericorum, & ecclesiarum. Diuersa tamẽ ratione; nam de prioribus ea de causa cognoscere nõ possunt; quia pendent ab spiritali illa potestate, quam Christus dominus instituit, & Diuo Petro, ac successoribus concessit, quæ ab eis in cœteros inferiores Prælatos deriuata est, laicis etiam

Princi-

Principibus omninò exclusis, ac propterea sine cognitione spiritualium supernaturalium diffiniri non possunt. De posterioribus, quia eo ipso quòd quis ad sacros ordines promouetur, & Deo ipso offertur, ac consecratur, à laicorum potestate, & iurisdictione diuino ipso iure censetur exclusus. Ex quo fit vt propter honorem, & reuerentiam clericis tanquam Dijs, Angelis, Pastoribus, & spiritalibus parẽtibus iure diuino, & naturali à laicis præstandam, eodẽ iure prohibeantur, de eorũ causis iudicare; quod hac ratione existimo decretũ fuisse in Reminensi concilio.

12 Nùnc postquàm veram huius cap. rationem assignauimus, congruum erit, dubitationes proponere, easq; diluere: quarum prima est. Arbitria ad instar iudiciorum sunt redacta, l. 1. D. de recept. arbitr. Sed laici in ecclesiasticis negotijs arbitri esse possunt, c. dilecti. 4. c. per tuas. 9. & c. exposita. 11. de arbitr. ergo & iudices. Cuius difficultatis occasione Bald, num. 17. Abb. 4. Dec. 3. & 4. in hunc locum disputant; An laici arbitri esse possint in negotijs ecclesiasticis, & spiritualibus.

13 Pro intelligentia huius quæst. considerãdum erit, duo esse genera arbitrorum; vnum eorum, qui à Prætore dabantur, alterum eorum, qui à litigatoribus ex compromisso eligebantur, Conan. lib. 7. com. cap. 13. nu. 4. Arbitri, qui à Prætore dabantur, vulgo dicuntur arbitri iuris, & apud iurisconsultos appellantur viri boni, l. continuus, 137. §. cum ita, D. de verb. oblig. l. fin. D. rem pupilli sal. for. & in iudicijs bonæ

bonæ fidei dabantur, de quibus intelligitur tex. malè ab omnibus ferè acceptus in §. omnium, ibi *arbitrosuè*, inst. de action. & in l. à Diuo Pio. 15. ibi *siue arbitrorum*, D. de re iudic. De quibus non loquitur nostra quæstio, cum esset ineptum dubitare an possint esse arbitri iuris laici in negotijs ecclesiasticis, cum non valeant esse iudices, ex proximè dictis nu. 11. Arbitri verò, qui spontè à partibus eligebantur, sunt in duplici differentia; nam aut sunt arbitri compromissarij, quorum arbitrium siue æquum, siue iniquum debet sequi, de quibus intelligitur Rubr. sup. proxima de arbitr. & D. & C. eod. tit. aut sunt arbitratores, quos nos vulgo appellamus amicabiles compositores, quorum sententia appellatur arbitramentum. Quam distinctionem consultus expressit in l. societatem, 77. §. arbitrorum, D. pro socio.

14 Differunt autem in eo, nam arbitri dantur ad iudicandum secundum ius, & seruato iuris ordine (quo in sensu arbitria ad instar iudiciorum redacta dicuntur in d. l. 1. D. de recep. arb.) Arbitratores verò nō seruato iuris ordine, ex bono, & æquo procedunt, l. si quis, 43. D. de verb. oblig. Alias differentias refert, Socin. reg. 45. & de arbitrorum materia videnda sunt tradita ad l. cum antea, C. de recept. arbitr. & ad d. c. per tuas, vbi Abb. in repetitione. De ijs arbitris à partibus electis intelligitur nostra quæstio.

His ita pro cognitione præmissis, aggrediamur disputationem, videamusq; *An laici arbitri esse possint in negotijs ecclesiasticis, aut spiritualibus*. In qua sunt, qui

qui negantium partẽ defendant ducti ex hoc cap. in illis verbis. *Decernimus, vt laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant*. Ponderando verbum *tractare*. Deinde ex d.l. j. in quâ Vlp. docet, arbitria esse redacta ad instar iudiciorum, & planũ est, laicos non posse iudicare, c. nullus. 2. de for. comp. Postremò pro hac parte expressa decisio est Innoc. quæ refertur in c. cõtingit. 8. de arb. *quia nõ decet, vt laicus in talib. arbitretur*

15 Affirmantiũ tamen partẽ iudico veriorem, cũ pro ea iura adsint expressa in d.c. dilecti, in d.c. per tuas, de cã spirituali loquente, & in d.c. exposita, de arbitr. glo. ver. iudices, in c. 1. de foro comp. in 6. Couarr. in 4. 2. part. c. 8. §. 12. num. 2.

16 Fundamentis autem negantium ita satisfactũ erit; primo, si dicamus, c. nostrũ de iudicibus tantũ agere, & tractatu p viã iurisdictionis; & potestatis publicæ, vt cõstat ex hoc ti. de iudicijs, sub quo collocatũ est; Arbitri vero (de quibus loquimur) iudices nõ sũt, nec publicã habent potestatẽ, aut iurisdictionẽ, quã non possunt cõpromittentes tribuere; sed notionem tantũ ab eisdem cõcessam, quæ magis importat tractatũ ministerialẽ; ita vt cõpromittentes non ratione imperij, seu potestatis; sed metu pœnæ appositæ in cõpromisso arbitris obtemperent, l. ait Prætor. 5. D. de re iudic. iuncta l. priuatorum, 3. C. de iurisd. omn. iud. & l. 2. D. de arbitr.

17 Secundo, d. l. j. D. de arb. procedere circa ordinẽ, & modũ procedendi, ac cognoscẽdi; non tamen locũ habere circa iurisdictionẽ, & ea quæ ab ipsamet pen

L dent

dent; in quibus cõpromissa longè differũt à iudicijs; vt patet ex glo. in d.l. 1. gl. 2. vers. circa istam materiã in c. cũ dilectus, 6. de arbitr. Menoch. de arbitr. cas. 8. n. 5. Et per consequens non habet locũ ratione prohibitionis, de qua in hoc cap. ꝙ agit de iudicibus, ac tractatu per viã iurisdictionis, & publicæ potestatis, quę oĩa cessãt in arbitris; vt ex ꝓximè d. n. 13. cõstat.
18 Tertiò de d. c. contingit, nihil aliud potest responderi, nisi cõstituere, Doctores nostros, adulterino sensu iura donãtes in causa fuisse, vt huius quęstionis veritas nunquàm appareret; quæ vt elucescat, obseruo. Per hoc cap. & similes, quibus laici in negotijs ecclesiasticis, & spiritualibus iurisdictionẽ, potestatẽ, seu imperiũ exercere, aut ius dicere, prohibentur, nõ esse prohibitũ, quominus arbitri constituantur, & in eos super rebus ecclesiasticis compromittatur; quia nec verba, nec mẽs, nec ratio huius cap. in huiusmodi arbitris cõpromissarijs locũ habent. Atq; ita vi huiusce decisionis poterat cõpromitti super spiritualibus in laicũ; ex d. c. dilecti, d. c. per tuas, & d. c. exposita. Postea tñ prohibita fuit huiusmodi cõpromittendi potestas ab Innoc. III. in concil. Later. ex quo desũptus est tex. in d. c. contingit, vbi noua constituitur prohibitio, vt satis colligitur ex verbo, *prohibemus*, & ex ratione quã tex. reddit; non .n. dicit in laicos super spiritualibus cõpromitti non posse; quia non possunt ea tractare, aut quia nõ habẽt facultatẽ; sed *prohibemus, quia non decet, vt laicus in talibus arbitretur*; Quę verba significant, cõpromissum huiusmodi secundũ rigorẽ,

ac regulas iuris cõmunis fieri potuisse; veruntamèn prohiberi à concilio propter indecentiã; quæ in eo maximè consistit; q arbitri in multis adinstar iudicũ in figura iudicij procedunt, l. idem. 14. §. recepisse; iuncta d. l. 1. D. de arbitr. Quare indecens visum fuit, laicos in spiritualibus procedere tanquã arbitros, ne super eisdẽ iudices esse, aut aliquã iurisdictionẽ exer
19 cere viderentur.† Quæ indecẽtia licèt per se nõ sufficeret ad nullitatem cõpromissi, sufficit tamen, vt in ea iustè fundari possit noua illa prohibitio cõcilij Lateranẽsis, quæ ius nouum constituit; atq; ita ex ea nõ deciditur omnino questio; sed tantũ super rebus spiritualibus decernitur, ne in laicos cõpromittatur. Cui non obstat tex. in d. c. per tuas, quod est Innoc. III. vbi in laicũ super re spirituali cõpromissum factũ tenuit; nã valuit, quia in eo interuenit authoritas superioris, non quia in clericũ, & laicũ fuit factũ (vt malè arbitratur cõmunis interpretũ sñtia) atq; ita superioris authoritate interueniente, ẽt hodiè valebit, d. c. dilecti. 4. de arbitr. quod summè aduertendum erit.
20 Secunda autẽ dubitatio ex eo insurgit, quòd causæ spirituales possũt laicis cõmitti, c. preter, 6. §. attamẽ vers. scribit, 32. dist. c. bene quidem, 1. §. cumq; 96. dist. igitur laicorũ iudicio causæ ecclesiastice possunt decidi; nam & si ille, cui mandata est iurisdictio, non propriã, sed eius, qui mãdauit, exerceat iurisdictionẽ, l. 1. §. qui mandatũ, D. de offic. eius, suo tñ iudicio causam decidit, in c. prudentiã, 21. §. illa quippe, de offic. deleg. Quo argumento interpretes in eam sententiã

 conueniunt

conueniunt, vt existimẽt, laicis ecclesiasticas causas, exceptis ijs, quæ ab ordinis potestate pendent, posse à Rom. Pontif. mandari, vt docet glos. in hoc c. verb. nõ præsumant, glo. verb. Duci in d. vers. scribit, & gl. verb. laico, in d. c. benequidẽ, Bald. n. 11. Abb. 5. Imol. 4. Dec. nu. 52. Rip. 34. & Mant. 14. ad hunc locũ, Couarr. in c. alma mater, 1. par. §. 11. n. 3. de sent. excom. in 6. Decian. 1. tom. crim. lib. 4. c. 9. nu. 70. & Suarez de cens. disp. 2. sect. 3. Quæ resolutio primùm probatur ex eo, quòd licet laici tãquã tales propria authoritate incapaces existãt lege diuina potestatis, ac iurisdictionis ecclesiasticę; ita vt iudicio suo causę ecclesiasticæ non sint decidendæ, vt cauetur in hoc c. 2. (in quo verbũ *iudicio* pro *iurisdictione*, & *authoritate propria* accipitur, vt patet ex rub. nostra de iudicijs;) nulla tñ lex diuina reperitur, quę prohibeat iurisdictionis potestatẽ laicis posse mãdari per eũ, qui oĩa iura in scrinio pectoris sui censetur habere, in c. 1. de constit. in 6. Quo casu licet *iudicio suo*, vt in d. §. illa quippe, hoc est, *discretione*, ac *prudentia*, vt in c. graue, 29. de præben. causã mandatã laicus determinet; nõ tamẽ proprio iure hoc agit, vt in d. §. qui mandatã. & c. sanè 11. de offic. deleg. Deindè ex c. in synodo, 23. 63. dist. c. dilectus, il terzo, 34. de præbend. Ex quibus cõstat, potestatẽ conferendi beneficia, quæ ad ecclesiasticã spectat iurisdictionẽ, c. nosti, 9. c. transmissã, 15. de electio. à Sum. Pontif. laicis concedi posse. Postre-
21 mò ex c. 2. de foro comp. † Statuendũ itaq; erit Sum. ecclesiæ vniuersalis Præsulẽ non solũ ecclesiasticas,

verùm

verùm spirituales quascunq; causas iurisdictionis posse laicis mandare; quia lege diuina non est prohibitũ. Nõ autẽ posse causas ab ordinis potestate pendẽtes, cũ hę sint annexę ecclesiasticis ordinib⁹, c. quãto, 4. de cõsuet. quibus deficiẽtibus, nulla est potestas

22 Difficultas tñ cõsistit in quærendo, an sup. tradita resolutio in episcopis locum habeat, ita vt ecclesiasticas causas laicis possint mandare. In qua Doctor. hùc, & illùc fluctuant; nam Barbat. ad hunc locũ, & cõs. 95. lib. 2. defendit, episcopos, ac cæteros ecclesię Prælatos non posse laicis ecclesiastica mandare negotia. Pro cuius sñtia valẽt perpẽdi, primo tex. in c. cũ te consulente. 18. ibi *personis ecclesiasticis*, de offic. deleg. Deinde, c. significasti, 18. de for. comp. dũ probat, nõ sufficere consensũ episcopi, vt laicus de causa

23 pecuniaria clerici cognoscat. † Postremò quia Episcopus nõ potest, laicũ constituere diœcesanũ Vicariũ, quẽ vocant generalẽ, c. indicatum, 5. 89. dist. c. in noua actione, 22. 16. q. 7. & c. 2. de cler. coniug. Sbroz. de Vic. episc. lib. 1. q. 31. Sed episcopi vicarius mandatam exercet iurisdictionẽ, Anast. lib. 1. animad. c. 6. quæ mãdãtis morte extinguitur, vt notatur in c. quoniã Abbas, 14. de off. deleg. Quod secus vtiq; esset, si ordinariam haberet, arg. c. 2. de off. leg. in 6. igitur consequentia patet, vt Host. & Bald. nu. fin. voluerunt.

24 Contrariã sententiã existimo amplectendam, episcopos nempè, ac cœteros ecclesiarũ Pręlatos, quib⁹ iure, aut consuetudine iurisdictio cõpetit, causas ad iurisdictionẽ pertinẽtes laicis mãdare posse. Moueor,

quia

quia Episcopi in sua diœcesi, ac inter suos subditos ea omnia, quæ Sum. Pontif. in toto orbe, possunt ordinare, nisi aliqua repugnet lex; quæ est Theologorum, & Canonistarum concors s̄ntia ex Sot. in 4. dist. 31. in fin. Henriq. 2. tom. de matr. lib. 12. c. 3. n. 2. At nulla lege diuina, aut canonica prohibitum est, ne iurisdictio mandetur, & inuenitur expressum, Pontif. posse mandare; igitur & poterit episcopus. cap. 2. de for. comp. iuncto c. clericum 3. 11. q. 1.

25 Glo. in hoc cap. verb. non præsumant, quā sequuntur Bal. nu. 2. Abb. nu. 5. Fel. 1. Dec. 7. & 25. Ripa 34. Alc. nu. 3. Anchar. nu. 3. ad hunc locum, inter has ex diametro pugnantes opiniones ita distinguit, vt episcopi valeāt causas ciuiles clericorum laicis mādare, non autem spirituales, & criminales, quā distinctionem cōis amplectitur. Sed quanuis hæc distinctio aliquibus in Regnis seruetur, nullo tñ iure probatur; confunditurq; ex illis verbis huius cap. *ecclesiastica negotia*, quę sunt apta ad cōpręhēdenda tā spiritualia, quā ciuilia, & criminalia negotia, quæ propria authoritate à laicis non possunt tractari, secùs si mādētur. Guil. de Cun. in Aut. clericis, C. de episc. & cler. distinguit inter reales, & personales actiones. Cuius solutio toleratur ab Alc. n. 3. confunditur à Bal. nu. fin.

26. Defendendum itaq; erit, episcopos, vt Pōtif. posse mandare; quanuis sit consuetudine introductum, ne causæ ecclesiasticæ laicis cōmmittantur. Cui sententiæ contraria nihil obstant, nam in d. c. cum te consulente, exempli causa, & propter frequentiorem vsum

de

de ecclesiasticis agitur psonis in principali qstione, cui respōdet Pontif. sed expressè nō definitur, eccle
27 siasticis necessariò causas esse mādandas. † In d. autē c. significasti, nihil concluditur, constituēda est enim differentia inter consensum, de quo ibi, & inter mandatum iurisdictionis, de quo agimus; cum simplex ille consensus nō tribuat iurisdictionem, quemadmodùm
28 mandatum. † Ad argumentum autem postremo loco adductum erit dicendum, communiter esse receptum episcopi Vicarium, quē vocant generalem non mandatam, sed ordinariam habere iurisdictionē, c. 2. de consuet. in 6. c. romana. 3. de appell. eod. lib. Couar. lib. 3. var. c. 20. n. 4. Sbrozz. de Vic. episc. lib. 1. q. 23. Et si contrariū iudicio meo validissimis ab Anast. vbi sup. rationibus cōfirmetur, de quo dicere supersedeo, cū non sit huius loci ea disputatio, dicemus in nostro
29 Antinomiarū libro. † Nec refragatur tex. in d. c. 2. de off. leg. in 6. quia ibi non durat officiū legati mortuo Pontif. ea ratione tantū, quòd sit ordinarius; sed quia Proconsuli æquiparatur, cuius officiū durabat vsq; in aduentum successoris, l. meminisse, 10. D. de offic. Procons. Interdùm tn̄ ordinaria iurisdictio concedētis morte expirat, vt in Vicario est videre, cū iurisdictio episcopi ad capitulum deuoluatur, Doct. in rubric. ne sede vacan. aliq. innou. quam vicarius exercebat, glos. à com. recepta verb. contestata, in Clem. fin. de procurat. Couarr. c. 4. pact. nu. 4.

Tertia dubitatio ex pluribus iuribus depromitur, quibus docemur, tàm ciuilia, quàm criminalia clericorum negotia à laicis posse tractari, vt apparet ex

c. cœterum. 5. huius tit. c. ex transmissa, 6. c. verùm, 7. de for. comp. c. filijs, 31. 16. q. 7. c. cum 10. hui. tit. & c. 1. de apost. quorum difficultas vt tollatur, constituo, supra d. c. cœterũ. d. c. ex transmissa, & d. c. verũ, c. folitæ. 6. §. verum, vers. quod. de mai. & obed. c. Romana, §. debet, de appell. in 6. quæ à cõi adducũtur, c. 1. de controuers. inter epis. & vasall. intelligi de quæstione feudali, in qua singulare ius versatur, ex

30 c. imperialẽ, de proh. feud. alien. pe. Fed. † Vnde si clericus feudũ à laico accipiat, corã eo tenetur respondere in q̃stione feudali. tenẽt Abb. n. 6. Fel. 3. Dec. n. 21. in d. c. cœterũ. Licèt contrariũ defendãt Archid. in c. 1. de cler. coniug. in 6. Barb. in d. c. cœterum. & Alc. in c. 2. nu. 4. de reb. eccl. magis inclinans in hanc sñtiã ꝑ c. j. 11. q. 1. ibi *vnquã*. Sed loquitur de accusatione, ibi *accusare*, non autẽ de causa feudali. Huiusce autem iuris singularis ratio duplex esse potest; prima, quia causæ feudales secundũ cõsueutudines feudorũ decidẽdæ sunt, quarũ dñus feudi scientiã habet, Men. de retin. rem. 3. n. 347. Secunda, quia cũ clericus rõne feudi vasallus laici efficiatur, nõ Prælatus in ea cã ius dicet, sed laicus à quo feudũ accepit. Atq; ita iustè Ro. Põt. interpretantur rationes iuris diuini clericos eximentis eo in casu non vigere, cum ad eos pertineat, ius diuinum interpretari, c. maiores, 3. de baptis.

31 Cœtera iura sigillatim sunt interpretanda, & primo tex. in d. c. filijs, illis in verb. *Regis hoc auribus intimare non differat*, quæ ita sunt intelligenda, vt Regis auribus sacerdotis culpa denuncietur, nõ vt sacerdotẽ cũ primat, sed vt hortetur, ac instet apud ecclesiasticos,

vt

vt iustitiam exhibeant. Qui intellectus erit admittendus, ne ex alijs absonus aliquis resultare videatur.
32 † Deinde tex. in d. c. cum, ibi *per secularem comprimendus est potestatem*, in quo cum cessent rationes omnes, ac authoritates, quibus fuit probatum, clericorũ immunitatem à lege diuina ortum habuisse; si quidẽ loquitur de clericis, qui ab ecclesiasticis iudicibus primò depositi; deindè excõmunicati; tandem anathemazati in profundum malorum venientes in criminibus perseuerant; nihil sanè mirum si curiæ seculari tradantur, *cum ecclesia non habeat vltra quid faciat, nec possit esse vltra perditio plurimorum*, vt ibi ratiocinatur Pontif.

33 Postremò venit interpretandus tex. in d. c. 1. de apostat. cuius occasione erit indagandum. *An clericus qui dimissa tonsura, & veste negotijs secularibus se immiscet, possit nulla præmissa à superiore monitione, à iudice laico detineri, ac puniri*. In quo articulo Couar. pract. cap. 32. num. 2. Decian. 1. tom. crim. lib. 4. cap. 9. num. 88. & Farinac. tom. 1. tit. de inquisit. quæst. 8. num. 42. vtiq; posse arbitrantur, ex dict. cap. 1. de apost. ex cap. perpendimus. 23. de senten. excom. & textu in c. ex parte, 27. de priuileg. vbi glos.
34 verb. in delicto. † Verius tamen est, hoc etiam in casu monitionem requiri, ex c. in audientia, 25. c. contingit, 45. de sent. excom. & c. 1. de vit. & hon. cler. lib. 6. Nec quidquam faciunt iura pro contraria adducta,
35 nam in d. c. 1. de apostat. tantum probatur, ecclesiã non pręcipere, apostatas à seculari iudice captos per

M censuram

censuram ecclesiasticā liberari, si in criminibus comprehensi teneantur; quæ omnia simul iuncta in causa
36 sunt, vt nullum eis priuilegium patrocinetur. † Ad text. autem in d.c. perpendimus, constituo, iudicem secularem non potuisse clericum punire; neq; eius fuisse iurisdionis de tali causa cognoscere, vt probatur in vers. fin. eiusd. text. quo mandatur Episcopo, vt Bernardo Comiti, ac cœteris eius fautoribus pœnitentiam iniungat competentem, eo quòd clericus fustigatus, virgulis cæssus, ac patibulo esset traditus; quibus si iurisdictio competeret, nulla ratione imponi potuisset pœnitentia; cum illud, quod legitimè factum est, nullā pœnam mereatur. Nec huic interpretationi obstat, si dicatur, quòd si prædictus Comes, ac cœteri non habuissent iurisdictionem in clericum, incidissent in sententiam canonis, & à nullo episcoporum absolui potuissent, donec se apostolico conspectui præsentarent, c. si quis suadente, 29. 17. q. 4. nam in illo textu non probatur, Comitem non incidisse in sententiam canonis; sed tantùm, pro obtinenda absolutione non debere Romanam sedem adire; cùm propter atrocitatem criminis à clerico commissi, tùm quia dum inferret iniuriam, fuit deprehensus. Neq; ob id nulla erat Comiti pœnitentia inferenda, nam fuit imposita, quia excessit modū
37 inculpatæ tutelæ contra legem 1. C. vnde vi. † Tandèm ad tex. in d.c. ex parte, erit dicendum, loqui de illis, qui nunquam pro clericis habiti fuerunt.

TERTIA

TERTIA PARS
INTERPRETATIONIS
CAP. DECERNIMVS. II.
DE IVDICIIS.

Summa capita in ea contenta.

1 *AN immunitas clericis concessa comprehendat primam tonsuram habentes.*
2 *Non comprehēdere, nisi habeant beneficium, vel ecclesiæ inseruiant, probatur.*
3 *Ratio Trid. sess. 23. c. 6. de reform.*
4 *Pontif. ius diuinum interpretari valet.*
5 *Clerici coniugati quibus in causis fori priuilegio gaudeāt.*
6 *An ea, quæ voluntariæ sunt iurisdictionis, à seculari possint in clericos exerceri.*
7 *Resoluitur non posse.*
8 *Princeps secularis filium sacerdotis laicum potest legitimum reddere.*
9 *Datio curatoris ad litem pertinet ad iudicem, coram quo litigatur.*
10 *An secularis qui non valet cognoscere de quæstione iuris rei ecclesiasticæ, possit cognoscere de quæstione facti.*
11 *Et posse resoluitur.*
12 *An quæstio facti à iuris quæstione possit separari.*
13 *Interpretatur l. 53. §. in Cliuo, D. ad leg. Aquil.*
14 *Cap. 18. §. prohibemus, de hæretic. lib. 6.*
15 *Cap. si iudex laicus, de sent. excom. lib. 6.*

16 *Quotiès dubitatur, an clericus deprehensus debeat gaudere priuilegio fori, ecclesiastici cognitio est.*
17 *An secularis, qui principalitèr non potest negotia ecclesiastica tractare, possit incidentèr.*
18 *Resoluitur non posse.*
19 *Ratio, cur possit ecclesiasticus de re temporali incidente cognoscere, & non laicus de re ecclesiastica.*
20 *Concordantur opiniones negantium, & affirmantium in hoc articulo.*
21 *An secularis clericum apud se falsum deponentem valeat punire.*
22 *Negatiuè resoluitur.*
23 *An secularis possit cognoscere de causa possessionis rei ecclesiasticæ.*
24 *Posse à nonnullis defenditur.*
25 *Contrariæ sententiæ referuntur fundamenta.*
26 *Resoluitur non posse.*
27 *Interpretantur l. 1. §. adipiscimur, D. de acq. poss.*
28 *L. naturaliter, §. nihil. D. eod.*
29 *Cap. petimus. 11. q. 1.*
30 *Cap. fin. huius tit.*
31 *Cap. causam quæ. qui fil. sint legit.*
32 *An laicus possit cõstitui procurator in negotijs ecclesiasticis.*
33 *Posse defenditur.*
34 *Interpretatur hoc cap. 2.*
35 *An clericus sine episcopi consensu alterius iudicis ecclesiastici possit iurisdictionem prorogare.*
36 *Exponitur cap. 1. de foro comp.*
37 *An prorogatio clerici iuramento firmata valeat.*
38 *Explicatur l. 29. C. de pactis.*

39 *An*

1 TERTIA hæc disputationis pars decem amplectitur articulos, quorum enucleationi decem ipsis interpretationibus vltima accessit manus. Primus ille sit. An immunitas clericorum, qua à laicorum iurisdictione sunt exempti, procedat tantum in illis, qui ad sacros ordines fuere promoti, an verò comprehendat minoribus iniciatos, vel primam tantum (vt aiunt) tonsuram habentes. Quos omnes contineri voluit communis per illum textum in c. 2. de foro comp. iuuaturq; ex c. 2. & 3. 11. q. 1. Et pro ea facit, quòd appellatione clericorum primam tonsuram habentes veniant in c. cleros, 1. 21. dist. c. cum contingat, 11. de ætate, & qual. Et leges generatim clericis præstent immuni-
2 tatem in c. si diligenti. 12. de for. comp. † Contrariũ tamen suadetur ex l. Præsbyteros, 6. C. de epis. & cler. & ex Auth. Præsbyteros, C. eod. tit. & hodie. extra omnem dubitationem positum est Sacri Trid. Concilij decreto sess. 23. c. 6. de reform. quo dispo-

nitur

nitur illos tantũ clericos fori priuilegio gaudere, qui prima tonſura iniciati eccleſiaſticum habent beneficium; aut habitum clericalem, & tonſuram deferentes alicui eccleſiæ de mandato epiſcopi inſeruiunt; aut in clericorũ (quòd vocant) ſeminario, paleſtra ve literaria de epiſcopi licentia quaſi in via ad maiores ordines verſantur. Quæ conſtitutio ita vbiq; ad vnguem obſeruatur, vt extra hos caſus prima tonſura
3 initiatus non gaudeat fori priuilegio. Summa autem ratione moueri potuit cõcilium ad illud ſtatuendum, cum omnes authoritates, quibus 2. par. num. 7. fuit probatum, clericorum initi priuilegium, propriè militent in illis, qui ad ſacros ſunt ordines promoti, vel in minoribus conſtituti diuina exercent miniſteria, non verò in alijs laicorum more viuentibus. Atq; ita procedit triuialis regula, c. cum ceſſante, 60. de appellat. & l. adigere, 6. de iure patron.

Quid ad contraria reſpondebitur? dicere, illa iura eſſe antiquata dicto Trid. decreto. † Quòd ſi di-
4 cat aliquis, Pontific. & concilij circa ea, quæ iuris ſunt diuini, parem eſſe authoritatem, & non eſſe licitũ Pontifici, ea, quæ à iure diuino trahunt originem, immutare, c. ſunt quidam, 6. 25. q. 1. c. fin. de conſ. & c. literas, 13. de reſtit. ſpol. nihil dicet, cum facilè reſpõdeatur conſtituendo, ſummis fuiſſe contentionibus agitatum, an prima tonſura ſit ordo, vt conſtat ex interpretibus ad d. c. cleros. & per conſequens an veniret appellatione clericatus; hoc poſito, cum certiſſimi iuris ſit, ad Pontificem ſpectare diuini iuris interpreta-

terpretationẽ, c. ſolitæ, 6. de mai. & obed. c. maiores, 3. de bapt. & c. per venerabilem, 13. verſ. rationibus, qui filij ſint legit. ac Pontificij declarationem, c. propoſuit, 3. de conceſſ. præb. c. 1. de conſt. in 6. & l. 1. D. de conſt. Princip. merito Trid. Concil. potuit declarare ius commune dubium, etiam ſi verſaretur circa diuinum, quia diuinũ non mutat vt potè immutabile, ſed declarat.
5 † Et ante dictum concilium ſuperior immunitas in clericis coniugatis fuerat limitata in c. 1. de cler. conig. lib. 6. vbi forma præſcribitur ab ipſis ſeruanda, vt in cauſis criminalibus fori gaudeant priuilegio; vt apparet ex illis verb. *pro commiſſis ab eis exceſſibus, vel delictis.* Quibus non repugnat illa, *criminaliter, aut ciuiliter*, nam ſunt intelligenda, vt gaudeant tali priuilegio etiã ſi de crimine ciuiliter agatur pro vt agi poteſt in §. ſic itaq; diſcretis, de action. & in §. in ſumma, de iniur. ſeruato tamen d. decret. Trident. Petr. de Anch. nu. 2. ad d. c. 2. de for. comp. Couarr. c. 31. pract. Bobad. in polit. lib. 2. c. 17. num. 193. Guterr. lib. 1. pract. c. 7. Far. 1. tom. crim. tit. de inq. q. 8. nu. 7.

6 Secundus ſit articulus, An immunitas clericis conceſſa tantum habeat locum in negotijs ad contẽtioſam iuriſdictionẽ, quæ in inuitos datur ex l. inter ſtipulantem, 83. §. 1. D. de verb. obligat. pertinentibus, an verò extendatur ad ea negotia, quæ iuriſdictionis ſunt voluntariæ, & inter volentes exercentur in l. 2. D. de offic. Procõſ. ita vt nec hic de cauſa ſeculari in clericos iuriſdictio competat. Et con[illegible]-

ie

re constat, cùm quia secularis Princeps sacerdotis filium, vt patri succedat, potest legitimare secundum Couarr. in 4. 2. par. c. 8. §. 8. nu. 19. tùm etiã, quia si iudex secularis non posset voluntariam exercere in clericos iurisdictionem inde sequeretur, quòd si clericus coram seculari litigaret, (quod potest contingere, vt in specie c. si clericus, de for. comp.) non posset ab eo accipere curatorem ad litem, sed dandus esset ab ecclesiastico; At consequens est falsum ex reg. l. fin. §. 1. C. de admin. tut. ibi (*cura, & prouisione iudicis sub quo lis vertitur.*

7 Contrarium tamen verius est, quia ratio decidendi ad 2. par. nu. 5. adducta tam in contentiosa, quã voluntaria militat iurisdictione. Deinde, nam ferre leges ad voluntariam spectat iurisdictionem, l. 1. de const. Princ. §. sed quod Principi, inst. de iur. nat. & secularium legibus nullo modo clerici ligantur, c. quę in ecclesiarum, 7. c. ecclesia, 10. de constit. Tãdem probatur in c. 1. 10. dist. c. per venerabilẽ, 13. qui fil. sint leg. & c. fin. §. si vero, hoc tit. lib. 6. quæ de voluntaria iurisdictione locuntur; quam sententiam tenent glos. verb. diuinis in d. c. 1. Rot. dec. 7. tit. de iudic. in nou. Rip. ad hunc locum. num. 9. & 10. Couarr. vbi sup. num. 18.

8 Nec quidquam faciũt pro contraria adducta, nam legitimatio est Principis legitimantis actus, quo nulla in patrem sacerdotem exercetur iurisdictio, sed eius filiũ laicum, & per consequens subditũ suum habilem Princeps reddit, in eumq; voluntariã exercet iurisdictionem,

ctionem, ad effectum, vt possit bona, quæ, si legitimè natus foret, sibi obuenirent, Arg. Auth. quib. mod. nat. effic. sui, §. illud tamèn. col. 7. Si verò esset clericus legitimandus, vel ad dignitates habilis reddendus, spectaret ad ecclesiasticum, d.c. per venerabilẽ. Rip. d. nu. 9. & Dec. cons. 150.

9 Ad secundum constituo, ad litem curatoris dationem ad iudicem, sub quo lis vertitur, pertinere; ad ecclesiasticum, si coram eo disceptetur, d.c. fin. § si verò ad secularem, si coram eo agitetur d.l. fin. §. 1. etiam si clerico dandus sit, vt resolutum fuit in Rot. dec. 14. hoc tit. in antiq. Anchar. nu. 4. in d.c. fin. vbi communis, Pereir. in l. si curatorem, in princ. nu. 19. C. de in integr. rest. Cum ordinare iudicium pertineat ad illum iudicem, corã quo vertitur lis, ex qua ordinatione libertati ecclesiasticæ nullum generatur prçiudicium, quandoquidem finita lite curatoris officium cessat. Si tamèn curator, quem vocant generalem, clerico in sacris constituto, aut beneficium habenti esset dandus, ad ecclesiasticũ pertineret, vt ex alijs notat Guterr. in tract. de tut. 1. par. c. 16. nu. 20.

10 Sit tertius articulus. *An huius cap. decisio procedat non solùm in quæstione iuris, veluti si dubitetur, an matrimonium inter aliquos contractum sit validum, nec ne; sed etiam in quæstione facti, vt si quæratur, an inter Titium & Saiam matrimonium fuerit contractum.* Negatium sententia sequentibus videtur probari. Primò facti quæstio maximè coniuncta est iuris quæstioni, l. si ex plagijs, 53. §. in Cliuo, D. ad leg. Aquil. sed in

couiunctis idem seruatur ius. c. 3. hui. tit. & l. quæ religiosis, 44. D. de rei vend. Igitur quemadmodum secularis iudex non potest iuris ecclesiastici quęstionem decidere, ita nec facti. Deindè, adducitur tex. in c. vt inquisitionis, 18. §. prohibemus, de her. lib. 6. illis in verbis, *nec ipsi de hoc crimine (cũ merè sit ecclesiasticum) quoquomodo cognoscant.* Hoc est, nec de iure, nec de facto. Postremò, nam illa quæstio quotidiè occurrens, an Petrus clericus sit, id est, an ad ordines promotus fuerit, (vt omnibus liquet) facti est, sed talis quæstio ad ecclesiasticum iudicem defertur, c. si iudex. 12. de sent. excom. lib. 6. ibi, *ad iudicem ecclesiasticum*; rationemq; reddit Pontif. quia in ea quæstione agitur de re spirituali, & ecclesiastica. Igitur ecclesiastici cognitio erit, vt defendunt Dec. ad hunc locùm nu. 176. Abb. nu. 10. Imol. nu. fin. ad c. tuam, 3. de ordin. cogn. Bald. Fulg. & Iaf. in l. quoties, C. hoc tit. com. ex Aret. in l. omni. nu. 3. C. de sacrof. eccl. Fachin. lib. 1. contr. c. 18. & Zeuall. pract. quæst. q. 403. Affirmãtium autem sententia ex ijs probatur. Primò ex c. postulasti. 21. de homic. c. 1. & 2. de exception. lib. 6. & c. decernimus. 8. de sent. excom. eod. lib. Deinde ex c. licet. 2. de iureiur. in 6. ibi, *quamuis eis constet legitimè de huiusmodi iuramento.* Postremò ex c. significauit. 41. de testibus. quibus ex iuribus clarè constat, facti quæstionem rei ecclesiasticæ ad secularem, coram quo lis agitatur, pertinere; vt tenuere. Part. nu. 6. Alex. 7. Barb. 11. in l. Titia 35. D. sol. matr. O rosci. nu. 17. in l. 1. D. de iurisd. omn. iud.

Padilla in l. 1. nu. 17. C. de iur. & facti ign. & Guterr. lib. 1. canon. c. 34. & lib. 3. ciuil. q. 26.

11 Statuendum in hac quęstione secularem posse cognoscere de quæstione facti, ratio est, nam huiusmodi causa per se considerata absq; iuris quæstione nihil in se habet, quod spirituale, aut ecclesiasticum sapiat, ac per consequens, nec spiritualis, nec ecclesiastica censeri debet.

12 Vt contraria dissoluamus, erit videndum. *An quæstio facti à iuris quæstione valeat separari*. Et non posse tenuit Fulgos. cons. 133. nu. fin. ductus ex d. §. in Cliuo, quem sequitur Robert. lib. 4. sent. c. 15. Sed verius est, non solùm posse separari, imo omnino diuersas, ac separatas esse ex Duaren. lib. 1. disputat. c. 41. Sarm. lib. 1. select. c. 13. nu. 4. ex l. eum quē. 79. §. iudicibus. D. hoc tit. l. Sœiæ. 20. §. fin. D. de fund. instr. l. ordine. 15. D. ad municip. dum consult. ait, quæstionem facti esse in potestate iudicis, non tamē quæstionem iuris; & l. non statim, 6. D. ad leg. Flau. de Plag. Eaq; ratione manifestè probatur, nam quęstio facti dicitur, cum non constat, an factum sit id, super quo lis orta est; quam causam Rhetores coniecturalem appellant, quòd in ea veritas coniecturis quæratur, nullusq; sit locus iuris scientiæ; qua in re magis instruent iudicē Rhetorum, quam iurisconsultorum libri; vnde Gallus Aquilius huiusmodi quæstiones ad Ciceronem collegam suum referebat, vt idem in Thop. meminit. Et Imperatores non solebant respondere ad tales quæstiones, d. l. non statim,

nec Magiſtratus d.§.iudicibus,nec iuriſconſulti, d. §. fin. quæſtio autem iuris eſt,cum conſtat de facto, & ſolum inter litigantes controuerſia eſt ſuper iure, quod ex eo naſcitur, cuius cauſæ ſtatus dicitur iudicialis, & de ijs cauſis ſoliti erant reſpondere magiſtratus d.§.iudicibus,& iuriſconſulti,§. reſpōſa,inſt. de iure nat.& Principes l. 1.& tot. tit. C. de diuerſ. reſcrip. conſtitutioneſq; oſtendunt,quas Iuſtinianus redegit in codicem, quem ipſum morem Pontifices retinuerunt, vt omnes epiſtolæ decretales indicant.

13 † qua ſententia amplexa nihil obſtat, tex.in d. §.in Cliuo, quia in eo ſolum conſultus docet, ius à facto pendere,id eſt,ſecundum circunſtantias facti variari ius, vt exemplis ibi oſtendit conſolt. vndè quælibet mutatio circa factum facit, vt mutetur ius. Nec rectè poteſt terminari quæſtio iuris, niſi plene conſtet de facto,& eius circunſtantijs,non autem conſult.docet, facti quæſtionem à iuris diſceptatione non poſſe ſeparari.

14 Ad ſecundum de d.§.prohibemus,communis ſolet reſpondere,in cauſa hæreſis ſpeciale eſſe,in qua,nec etiam de facto ſecularis valet cognoſcere, quia mere eccleſiaſtica eſt, vt placuit Anchar.in c. ea quæ, nu. 10. de reg.iur. in 6. Nauarr.in c. nouit,not.6. nu.41. hui.tit. & Simanch. de cathol. inſtit.tit. 36. in principio. Hæc tamen interpretatio defendi non poteſt, cum non appareat ratio, cur magis de alijs quæſtionibus facti ſuper rebus ſpiritalibus, quam de quæſtione facti hæreſis cognoſcere poſſit ſecularis. Di-

cendum itaq; erit, illum §. non agere de solius facti quæstione, sed de cognitione criminis, quæ includit non tantum factum, verum etiam ius, per quod constituitur, & distinguitur crimen, vt ostendunt illa verba *de criminibus hæresis*, ac si diceret Pontif. secularem non posse cognoscere de crimine hæresis, nec principalitèr, nec incidentèr, vt sequenti dicemus articulo, nec plenariè, nec summariè, nec ex officio, nec ad instantiam partis.

15 Nec refragatur vltimum de d.c.si iudex: quia eodem modo respondetur, nempè in eo non agi de sola facti quæstione, sed de illa, quæ includit etiam ius, vel saltem dubium iuris: quia non solum dubitabatur, vtrum reus esset clericus, sed an talis esset, vt fori priuilegio potiretur, essetq; ad ecclesiasticum remittendus: quæ interpretatio ex eodem textu probari videtur in vers. & si, ibi, *qui huiusmodi priuilegio gaudere debeat.* quæ verba supponunt in vers. præcedenti agi ab eadem dubitatione, nempè an gaudeat priuilegio: quod etiam significat ratio ibi assignata:
16 *quia de re spirituali, & ecclesiastica agitur.* † Hinc est, quòd si dubitetur, vtrum clericus à seculari deprehēsus debeat gaudere priuilegio fori, necne, sit ecclesiastici, non secularis cognitio d.c.si iudex ob maiorem dignitatē, arg.c.solitæ. 6. de mai. & obed. ne demus seculari incumbere, an sua, vel aliena sit iurisdictio decidere, Farinac. tom. 1. crim. tit. de inquisit. q.8. n. 33. & si contrarium in Gallia seruari referat Guido Pap. decis. 138. in Lusitania Barbos. in d. l. Titia,

nu. 31.

nu. 31. in Regno Neapolitano Carauit. rit. 235. & in hoc Mediolanensi Dominio Iul. Clar. lib. 5. sent. §. fin. q. 33. Si autem de sola facti quæstione agatur, nulla constituta differentia inter quæstionem facti clericatus, & aliarum rerum ecclesiasticarum contra Nauarr. in c. nouit, not. 6. nu. 44. hui. tit. secularis erit cognitio ex sup. resolutis; Decian. 1. tom. crim. lib. 4. c. 9. à nu. 110. vndè secularis ad effectum remittendi clericum non est impediendus assumere informationes, vt Canonistarum more loquamur.

17 Quarto loco sese nobis offert discutiēda quæstio, An iudex secularis, qui ex huius cap. decisione ecclesiastica negotia principaliter tractare nō potest, valeat de eis incidenter cognoscere. Et ipsius (saltèm si incidant) cognitionem esse, constat, Primò ex l. quoties. 3. C. hoc tit. l. 1. C. de ord. iudic. & c. penul. vesic. delegati, de in integr. restit. in quibus, qui de causa cognoscere principalitèr nequit, si incidenter occurrat, potest. Deindè ex c. de prudentia, 3. de donation. inter vir. & vxor. & c. 1. in fin. qui fil. sint legit. vbi ecclesiasticus de causa matrimonij principaliter cognoscens potest decidere causam dotis, aut alimentorum, igitur, & è conuerso secularis poterit, vt
18 docuit glos. 1. in l. nullum, C. de testibus. † Sed malè iudicio meo cum verius sit, non posse, vt ostendunt illa huius cap. verba *tractare non præsumant*, quæ sententia probatur cum in c. tuam 3. de ord. cogn. & in c. lator. 5. qui fil. sint leg. tum etiam in c. vt inquisitionis, 18. §. prohibemus, ibi. *quoquomodo*, de hæret.

lib.

lib. 6. glos. verb. spirituali, in c. si iudex. 12. de sent. excom. in 6. Dec. ad hunc locum. nu. 174. Couarr. in 4. 2. par. c. 8. §. 3. nu. 4. & §. 12. nu. 3. Menoch. de recup. rem. 15. nu. 338. & Barb. in l. Titia. 35. nu. 22. D. sol. matr.

19 Resoluendum censeo in hoc articulo, discrimen esse constituendum inter ecclesiasticos, & seculares iudices, ita sanè, vt iudex ecclesiasticus de causa temporali incidente valeat cognoscere, iudex verò secularis de causa ecclesiastica incidente non possit cognoscere. Ratio discriminis consistit in eo, quia iudex ecclesiasticus est incõpetens ad cognoscendum de causis temporalibus, incidentia autem ampliat iurisdictionem incompetentis d. l. quoties, partesq; opponendo exceptionem coram iudice incõpetente in ipsum videntur consentire, & per consequens earum consensus tribuit iurisdictionem, l. j. D. hoc tit. & l. j. C. de iurisd. omn. iud. Iudex autem secularis est incapax ad cognoscendum de negotijs ecclesiasticis, & incidentia non ampliat iurisdictionem incapacis d. c. tuam, neq; partiũ consensus tribuit iurisdictionẽ incapaci, l. priuatorum, 3. l. in criminali, 5. C. de iurisd. omn. iud. c. significasti. 18. de foro comp.

20 Superest modo, vt interpretemur affirmãtium negãtiumq; sententiæ fundamenta; iura igitur, quæ affirmant, iudicem, qui aliàs non habet iurisdictionem, ratione incidentiæ posse cognoscere, sunt accipienda de iudice incompetente, de quo sermo instituitur

in

in d. quoties, d.l. 1.d.c.penult.d. c.de prudentia, & d. c. 1. Iura verò, quæ negant, iudici cognitionem ratione incidentiæ competere, sunt intelligenda de iudice incapace, de quo text. loquuntur in d. c. tuã, d.c. lator, d.c. vt inquisitionis, & in hoc cap. 2.

21 Quintus est articulus, qui superiori annectitur, *An Iudex secularis ratione incidentiæ possit punire clericũ falsum coram ipso testimonium perhibentem*. Et posse voluit d. glos. 1. in d.l. nullum, 13. C. de testib. quam Cin. & Bald. nu. 8. ad illum locum sequuntur, & plures quos refert Decian. 1. tom. crim. lib. 4. c. 9. nu. 82. Primò ex l. si quis 6. §. si quos, D. de pœn. Deindè ex l. omnium, 3. vbi Bald. nu. 5. C. de sport. Postremò ex d. l. nullum. Contrarium defendunt ex Hostien. & Ioan. Andr. Abb. nu. 28. & Felin. nu. 5. in c. verùm, de for. comp. Couarr. lib. vnic. pract. c. 18. nu. 7. Primò ex l. Diuus Pius 31. D. ad leg. Corn. de fals. Deinde ex c. si diligenti. 12. de foro comp. tandem ex c. vnic. de cler. coniug. in 6.

22 Constituendum arbitror in hoc articulo iudicem secularem nullo modo posse punire clericum in suo tribunali falsum deponentem. Ratio est, quia nec incidentia, nec delictum incapacis iudicis ampliat iurisdictionem, cum nullam habeat. Nec contraria quidquam faciunt, cum non loquantur de personis, quæ particulari priuilegio sunt munitæ, prout clerici, qui diuino, & humano iure à laicorum potestate sunt immunes, vt in 1. par. nu. 5. clarè fuit ostensum.

23 Sexto loco erit indagandum, *An iudices seculares ex*

huius

huius c. decisione nō solū cēseātur prohibiti cognoscere de rebus ad forū ecclesiasticum pertinētibus ratione proprietatis, sed etiam ratione possessionis. Et de possessione posse cognoscere, constat ex sequentibus. Primo possessio facti magis, quàm iuris est, l. 1. §. adipiscimur, D. de acq. poss. & c. cum nostris, 6. de conc. præb. At iudices seculares de quæstione facti rei ecclesiasticę possunt cognoscere ex dictis sup. nu. 11. igitur pari ratione cognoscent de possessione. Deindè causa possessionis nihil habet cōmune cum causa proprietatis, l. naturaliter, 12. §. nihil commune, l. permisceri, 52. D. de acq. poss. sed causa proprietatis matrimonij, beneficij, decimarum, ac similium spiritalis est; Clem. 2. hui. tit. igitur causa possessionis temporalis erit, ac profana, glos. verb. iuramento, vers. vel dic, in c. cum dilectus, 32. de election. glos. 1. vers. & nota, in c. 2. de iuram. calum. Si igitur temporalis est, ad temporalem iudicem spectabit, c. nouit. 13. hui. tit. Tertio loco adducitur text. in c. petimus, 19. 11. q. 1. in quo Rector prouintię cognouit de causa Episcopi spoliati; sed Rector prouintiæ magistratus erat tēporalis, l. vnic. C. si Rector prouint. ergo. Quarto loco perpenditur cap. fin. hui. tit. in quo Florētina potestas super possessione, vel quasi iuris eligendi Rectorem Ecclesiæ diffinitiuam promulgauit sententiam, vndè apparet ad eius iurisdictionē pertinuisse. Vltimo consideratur decisio c. causam quæ, 7. il secondo, qui fil. sint leg. vbi possessionis causa remissa fuit ad secularem, cum illegitimitatis cau-

24 ſa coram eccleſiaſtico penderet. † Quæ ſententia forenſi vſu videtur recepta, quandoquidem apud Germanos ita vſu receptum eſſe referunt Mynſing. cent.2. obſer. 67.Gail. li. 1. pract. obſeru. 38.apud Gallos Rebuff. 3.tom. ad leg.Gall. tit. de cauſ. benefic. art.8. gloſ. 2. apud Luſitanos Valaſc. conſult. 93. apud Neapolitanos Afflict. deciſ.24. Gram. 78. apud Mediolan. Alciat. reſp. 24. lib. 1. apud Pedemontanos Theſaur. dec. 82. & 117. ſequitur Cuiat. in recitat. ad hunc text.

25 † Contraria ſententia validiſſimis firmari valet argumentis, Primum ſit, poſſeſſio iuris magis, quàm facti eſt l. peregrè, 44. D. de acq. poſſ. c. dilecto, 28. ibi, *ius perimere*, de verb. ſignif. At ſeculares de iuris quæſtione rei eccleſiaſticæ non poſſunt cognoſcere ex dictis ſup. nu. 11. igitur poſſeſſionis rei eccleſiaſticę non habebunt cognitionem. Deindè cauſa poſſeſſionis, & proprietatis ita ſunt connexæ, vt quandã inter ſe habeant continentiam, l. nulli, 10. C. hoc tit. c. 1. de cauſ. poſſeſſ. ſed in connexis idem datur iudicium, c. 3. hui. tit. ergo coram eodem iudice ſunt decidendæ, ac per conſequens coram eccleſiaſtico. Tertio loco quoties de titulo rei eccleſiaſticæ docere, & cognoſcere eſt neceſsè, eccleſiaſtici, non ſecularis iudicis cognitio eſt ex noſtro cap. cum ſimilibus. Sed etiam ſi recuperandæ poſſeſſionis remedio agatur, in cauſa beneficij aut matrimonij ad iuſtificationem poſſeſſionis de titulo docere oportet, vt conſtat ex vera interpretatione c. in litteris, 5. & c.

ex

ex transmissa, 8. de rest. spol. glos. fin. in clem. vnic. de caus. poss. Hincque dici solet, possessorium beneficij iudicium causam proprietatis habere annexam, quemadmodùm de locis sacris interdicta habent, l. 2. §. quædam, D. de interd. & l. 3. §. hoc autem, D. de itin. actuque priu. Quarto loco illud vrget, simonia solum cōmittitur in spiritualibus, & illis annexis, c. qui studet, 1 1. 1. q. 1. c. quia clerici. 6. c. de iure, 16. & iure patr. At si quis titulum habeat, & pro obtinenda possessione aliquid dederit, committit simoniam cap. cum in ecclesia, 9. de simonia, ergo possessio rei speritualis, vel spirituali annexæ iudicatur spiritualis, ac per consequens coram ecclesiastico agitanda erit ipsius causa. Postremo ex clem. vnic. de cau. poss. & clem. vnic. de seq. poss. & fruct. in quibns beneficij, seu alterius rei spiritualis possessionis causa dicitur spiritalis; vnde simpliciter commissa non tantùm super proprietate, sed etiam super possessione censetur commissa, c. 1. vbi glos. verb. indistinctè, & interpretes, de seq. poss. & fruct. quam sententiam tenent Doct. ad d. c. fin. hui. tit. & ad d. c. 1. de cau. poss. Couarr. in pract. c. 35. Menoc. de recup. rem. 15. à num. 211. Guterr. lib. 1. pract. q. 20. & lib. 1. can. c. 34. plures, quos refert Zened. in collect. ad decretal. c. 4. & 5. & si enim alijs in prouincijs iudices seculares de causis possessorijs beneficialibus cognoscant, apud Hispanos nunquàm receptum fuit.

26 † In hoc ancipiti articulo statuendum existimo, vt proprietatis, ita & possessionis rei ecclesiasticæ cau-

ſam ad eccleſiaſticum pertinere his rationibus. Prima, quia cauſa poſſeſſionis præparatoria, ac præambula eſt ad cauſam proprietatis, l. liberis. 7. §. fin. D. de liber. cauſ. de qua cum prius agendum ſit, quã de proprietate, ſequitur vt corã eodẽ iudice agatur, ne illa continentia diuidatur d. l. nulli. Alc. lib. 1. parerg. c. 9. Secunda, nam cum index, qui cognoſcit de poſſeſſione, faciliùs expediat cauſam proprietatis tanquam magis inſtructus, & hæc ad eccleſiaſticum pertineat, & illa ſpectabit, hoc enim pacto litium breuitati conſulitur, l. properandum, 12. C. hoc tit. & litigantium laboribus, & impenſis parcitur, c. 2. de cau. poſſ. Vltima ſit ratio, quia connexorum idem debet eſſe iudicium, c. translato, de conſt. l. 1. & 2. D. quib. de reb. ad eund. iud. eatur, cum connexitas inducat inſeparabilitatem, l. cum, 17. D. de neg. geſt. has q; cauſas connexas eſſe ignorat nemo, l. ordinarij, C. de rei vend. Si igitur eodem iudicio ſunt terminandæ, ad eccleſiaſticum pertinebunt, Vacon. lib. 2. declaration. c. 44. Hac parte vt veriori amplexa, non obſtant ea, quæ pro contraria conſiderabam.

27 † Non primum de d. §. adipiſcimur, quia & ſi maximè controuerſum ſit, an poſſeſſio iuris, an facti ſit; placuit tamen ſemper ſententia Alciati in tract. de quinque ped. præſcrip. nu. 113. Cuia. ad tit. de adq. poſſ. & Fachin. lib. 8. contr. c. 5. exiſtimantium, poſſeſſionem naturalem facti eſſe, plurimumque ex iure mutuare; & hoc modo conciliandas eſſe leges, quæ modo iuris, modo facti, poſſeſſionem eſſe dicũt;

ſi enim

ſi enim conſideremus detentionem, & inſiſtentiam corporalem poſſeſſio facti eſt; ſi verò iuſtam cauſam poſſidendi, & perſonam ad poſſeſſionem idoneam iuris eſſe rectè dicitur.

28 † Non ſecundum de d. §. nihil commune, nam verum eſt, poſſeſſionem cum proprietate nihil habere commune, quod ad eſſentiam, ſubſtantiam, acquiſitionem, ammiſſionem, ac renunciationem pertinet: cum re & nomine ſint diuerſę, Garſ. de nobil. gloſ. 1. §. 2. num. 13. Quare rectè docuit conſultus, eum, qui rei vendicatione prius egit, non renunciaſſe iudicio poſſeſſorio, cum nihil habeat commune poſſeſſio cum proprietate, ad hoc vt ex vnius propoſitione videatur altera ſublata, c. paſtoralis. 5. de cauſ. poſſ. quod ad cauſæ verò cognitionem attinet connexæ ſunt, quandamque inter ſe habent continentiam; cũ vnius cognitio multum conducat ad alterius cognitionem, atque ideo nihil mirum ſi ab eodem debeant iudice expediri.

29 † Nec quidquam facit tex. in d. c. petimus, cum in eo non recurratur ad prouintiæ Rectorem, vt cognoſcat, aut iudicet; ſed vt eccleſiaſticę poteſtati ad iumento ſit. Solent enim eccleſiaſtici iudices tam ordinarij, quàm illi, quibus iuriſdictio mandata eſt, auxilium (quod brachium ſeculare Canoniſtę appellãt) quam ſæpiſſimè inuocare, c. 1. in fin. de offic. ordin. ç. vt officium, 11. §. compeſcendi, de hær. lib. 6.

30 † Ad textum autem in d. c. fin. conſtituo, in eo nõ agi de rei ſpiritalis iudicio poſſeſſorio, ſed de poſſeſ-

ſione,

sione, vel quasi rei temporalis; non enim tractabatur de iure eligendi aliquem ad officium, seu dignitatem ecclesiasticam, sed de electione illa Rectoris, id est, regẽtis officium, seu dignitatem temporalem, cuius rei agentibus clericis Florentinæ potestatis, hoc est, tẽporalis magistratus contra communitatem Castri de Signa (textus verbis vti liceat) cognitio erat; postmodum verò in ecclesiasticos sententia possessionis lata in petitorio Signienses iudicem ecclesiasticum debent adire, ex reg. c. si clericus, 5. & c. cum sit. 8. de for. comp.

31 † Vltimum de d. c. causam quæ, neutiquam vrget, quia ibi nulla spiritalis causa nec ratione proprietates, nec ratione possessionis coram Angliæ Rege in iudicium fuerat deducta: sed de successione agebatur, cuius cognitio ad temporalem iudicem pertinet, c. nouit. 13. hui. tit. c. tuam 3. de ord. cogn. vbi latius scribentes d. c. causam quæ, interpretantur.

32 † Septimus sit articulus. *An laicus, & si non valeat iudicare in negotijs ad ecclesiam pertinentibus, saltem possit constitui procurator ad iudicium, vel extra in rebus ecclesiasticis, ac spiritalibus.* Qui articulus licet extra omnem sit dubitationem positus ex ijs, quæ notant Balnum. 1. Dec. 2. Rip. 49. ad hunc locum, ea tamen est hominum huius tẽpestatis conditio, vt hinc inde quæsierint fundamenta. Sunt enim, qui negent, laicos in ecclesiasticis rebus posse constitui procuratores, ducti cum ex cap. in noua actione, 22. 16. q. 7. ibi *per laicalem procurationem administrandam elegerit*. Tum ex

hoc

hoc cap. 2. ponderando verbum *tractare* aptum ad comprehendendum quenlibet tractandi modum, c. cum olim. 7. de arbitr. c. tua, 8. iuncta gloſ. verb. tractatu, de ijs quæ fiunt à præl. l. eleganter, 24. §. fin. D. de pign. act. & l. ſi auiã. 3. C. de ingen. man. igitur laicus non poteſt conſtitui procurator, cum aliena tractet negotia, l. 1. D. de procurator.

33 Sunt autem, qui affirment, laicum in negotijs eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus ad iudicium, vel extra conſtitui poſſe procuratoré: ad iudiciũ apparet ex c. vni. de ſyndico, & c. 1. in princ. de procur. lib. 6. extra iudicium, veluti ad reſignandam, permutãdum, vel acceptandum beneficium c. accedens, 24. de præbend. gloſ. verb. procuratorem, in Clem. vnic. de renunc. Rot. deciſ. 8. de procurator. & deciſ. 11. de rer. perm. in antiq. Bald. num. 14. Felin. 4. Dec. nu. 5. ad hunc locum, Couarr. lib. 3. var. c. 16. nu. 4. & Flamin. de reſign. benef. lib. 9. q. 3. num. 20.

34 † Quorum iudicio admiſſo, non obſtant ea, quæ aduerſæ ſententiæ defenſores conſiderabant; nam in d. c. in noua actione, non agitur de procuratore, ſed de æconomo, ſeu gubernatore rerum eccleſiaſticarum, qui veluti ſuperior in eiſdem poteſtatem exercet. Ad intellectum autem huius cap. 2. erit conſiderandum, in eo tantum prohiberi, ne laici tractent propria authoritate negotia eccleſiaſtica, quare verbum *tractare*, eſt accipiendum (vt noſtri loquuntur) imperatiuè, non miniſterialiter; quam acceptionem ex pluribus conijcere licet; primo ex rub. de iudic. ſub qua iacet;

Dein-

Deinde ex illis verbis, *laicorum iudicio non disponant*, & illis, *ecclesiasticam iustitiam exerce e*, quæ verba iuncta aduersatiuæ *sed* quæ reperitur in hoc cap. ostendunt, in eo agi de tractatu, per quem laici disponunt, ac iudicant, prohibent q; ne ecclesiastici iustitiam exerceant. Postremo nam in exemplari huius cap. non legitur, *tractare*, sed *terminare*, hoc est, decidere, seu diffinire, vti obseruat Antoni. August. in not. ad primã collect. Decretal. li. 2. tit. 1. sub hoc cap.

35 Octauo loco venit indagandum. *An clericus absque dioecesani episcopi consensu alieni episcopi iurisdictionem valeat prorogare.* Ad cuius intelligentiam obseruo, proprium clericorum iudicem esse dioecesanum episcopum; nam qui potest ordinare, & iudicare potest, c. 1. 9. q. 2. c. nullus. 3. de paroch. Hoc posito, videtur dicendum, absque episcopi consensu factam prorogationem valere, ex c. 1. de for compet. ibi (*vel consilio eiusdem apud alios*) iuncto eo principio, quo docemur, eum, qui tenetur consilium petere, obligationi satisfecisse petendo, quamuis non sequatur, cap. cum olim. 7. de arbit. At proprij episcopi consensum ad prorogationem requiri, constat, ex c. significasti. 18. de for. compet. ibi (*&* *episcopi dioecesani voluntas accedat.*) Cuius decisionis potest esse ratio, quia in personis ecclesiasticis *maximè* prohibita est variatio, clem. vnic. de renunt. in qua existimo, interpretandum esse verbum illud *maxime*, pro *vtique:* vt in l. vsucapionem. 9. D. de vsucap. ita accipienda. Præsertim cum clerici non valeãt suæ ecclesię deserere serui-

nitium, in c. 1. & per tot. de cleric. non resid. Nec in sui episcopi præiudicium, qui priuatiuè habet iurisdi-
36 ctionem, alteri tribuere, d. c. significasti. † Cui non refragatur text. in d. c. 1. nam loco verbi *consilio*, ex purgatis codicibus erit reponendum (*si iudicium fuerit ipsius episcopi*) vt obseruat Anton. August. in not. ad prim. collect. Decretal. lib. 2. tit. 2. cap. 1. versic. vel consilio.

37 † Alius sit articulus optimo iure superiori annectendus. *An iuramento efficere possit clericus, vt alieni episcopi prorogetur iurisdictio.* Quod & sine iuramento licere, constat ex l. si quis in conscribendo, 29. C. de pact. ibi (*non vsurum fori præscriptione propter cingulum militiæ suæ, vel dignitatis, vel etiam sacerdotij prærogatiuam,*) quæ eadem habētur verba in l. si quis, 50. C. de episc. & cleric. hoc autem nec cum iuramento permitti, apparet ex c. si diligenti, 12. de for. comp. ibi (*nec iuramentum licitè seruari potuit, quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur*) c. non est, de
38 reg. iur. in 6. † Ad d. l. 29. ommissa Bart. & aliorum interpretatione ac Cuiac. lib. 2. obseru. c. 13. existimo dicendum, non loqui de fori ecclesiastici priuilegio clericis concesso, vt coram proprio episcopo cōueniantur, in c. inolita. 42. c. placuit, 43. 11. q. 1. nā illo tempore coram secularibus trahebantur Magistratibus; Sed de priuilegio clericis concesso, vt inuiti apud minores Magistratus nō conuenirentur, sed Romæ apud Prætorem, in prouintijs autem apud Præsides, l. omnes, 31. C. de episcop. & cler. quod du-

rauit vsque ad Iustiniani tempora, qui in nouella. 77. concessit clericis, vt prius apud episcopos conuenirentur, deindè apud magistratus temporales, Auth. vt clerici. coll. 6. vnde cum illud priuilegium esset personale, nihil mirum si possit renunciari; cum vnicuique liceat, fauori pro se introducto renunciare; hoc autem toti collegio ecclesiastico publicè indultum noscitur, cui priuatorum pactio derogare non potest, l. cum lex, 42. D. de fideiuss. l. pacta, 6. C. de pact.

Vt finis imponatur interpretationi huius capitis, vltimo loco operæpretium duxi videre. *An quemadmodum clericus fori priuilegio nequit renunciare, ita similiter nobiles renunciare nō possint priuilegio eis cōpetenti, ne in carcerem pro debito ciuili detrudantur.* Ad huius articuli perfectam cognitionem arbitror præmittēdum, inter cœtera priuilegia iure communi nobilibus tributa, vnum illud esse, ne pro debito ex ciuili causa cō tracto detrudantur in carcerem, vt arg. l. medicos, 6. C. de profess. & medic. lib. 10. resoluit Couarr. lib. 2. var. c. 1. num. 4.

Et ad exemplum clericorum huiusmodi priuilegio non posse nobiles renunciare, voluerūt Anton. Gom. 2. tom. var. c. 11. num. 54. Otalor. in tract. de nobilit. 3. par. c. 6. num. 3. Burgos. de Paz. cons. 10. nu. 7. Thesaur. decis. Pedem. 36. num. 5. & Zeuall. pract. quæst. q. 688. num. 3. Primo ex d. c. si diligenti. 12. de for. comp. & ex c. contingit, 36. de sent. excom. vbi priuilegio canonis renunciari non potest nec tacitè, nec expressè. Deindè ex l. alia 14. §. eleganter, D. so-

luto

luto matrim. vbi cum ab Vlpiano esset quæsitum, an pactum à marito factum, ne in id, quod facere potest, sed in solidum condemnetur, valeat, seruari oportere negat ex sententia Pomponij. Quia marito competit priuilegium, ne in restitutione dotis, vltra quàm facere potest, condemnetur, l. maritum 12. eod. titul. Vltimò ex l. ne quis 3. C. de aduocat. diuers. iudic. iuncta glos. ibi ver. ambientibus, & communi interpretum intellectu, quo deprehenditur, priuilegio illi renunciare non posse aduocatos, ne prouinciales suscipiant functiones, ne in aduocatorum dedecus redundet; pari ergo ratione videtur dicendum, nobiles non posse, illi priuilegio renunciare.

40 † At huiusmodi renunciationem valere, tenuere Barb. in d. §. eleganter, nu. 13. Baeza in tract. de inope debit. c. 16. à num. 38. Couarr. in c. quamuis, 2. par. in princ. num. 5. de pact. li. 6. Menchac. de success. creat. §. 29. num. 17. & §. 30. num. 235. Parlad. lib. 2. rerum cotid. c. fin. 5. par. §. 6. nu. 12. & Micr. in tract. de maior. 1. p q. 38. nu. 2. Primò ex l. quamuis. 11. D. de in ius voc. ibi *aut si non inuitus vocatus sit, licet edicti verba non patiantur*. Paul. enim ostendit, licere patrono, renunciare priuilegio ipsi competēti, ne sine venia in iudicium vocetur, l. sed si. 10. & l. fin. D. eod. tit. Præthereà nam priuilegium illud in quadam nobilitatis libertate positum esse videtur: hæc autem, quæ à iure naturali descendit, potest renunciari, si viginti annorum maior ad pretium participandum sese venundari passus fuerit, l. & seruorum, 5. vers. iure ci-

 uili,

uili, D. de statu hom. §. serui, inst. de iure person. & l. non ideò, 5. vers. sed nec. C. de lib. cau. ergo à fortiori poterit, & illa. Postremò ex l. si quis, 29. C. de pact. cuius verba fortissimum sanè pro hac parte præstant argumentum. *Si quis* (inquit Iustin.) *in conscribendo instrumento sese confessus fuerit non vsurum fori præscriptione propter cingulum militiæ suæ, vel dignitatis, vel etiam sacerdotij prærogatiuam*. iuncto vers. omnes. ex quo colligitur tale pactum validum esse; ponderare enim debemus verbum, *dignitatis*, quod ex sententia Bart. in l. 1. num. 46. C. de dignit. lib. 12. idem importat quòd *nobilitatis*.

41 † Circa hanc quæstionem varij varia dixere Garzia in tract. de nobilitat. glos. 6. in princip. num. 18. existimat, naturalem nobilitatem, quæ generis qualitas est à maioribus descendens, renunciari minimè posse; effectus tamen ipsius, qui à iure proueniunt, rectè posse. Non tamen iudicio meo propositæ dubitationi satisfacit; non enim quærimus, an nobilitas ipsa possit renunciari, hoc namq; quæsitum esset absurdũ, l. iura, 8. D. de reg. iur. sed an effectus à nobilitatis qualitate prouenientes, quorum vnus est, ne nobiles pro debito ciuili detrudantur in carcerem, possint pacto remitti.

42 † Alitèr Guterri. Hanc rem componit tract. de iuram. confir. 1. par. c. 17. nu. 74 distinguit enim sanguinis nobilitatem ab ea, quę priuilegio adquiri solet: ita sanè vt illa non valeat renunciari, hæc autem valeat. Sed cum quælibet nobilitas nobilis sit, ac conspi-

cua,

tua, eosque quibus inest, eijsdē priuilegijs adaugeat, non video, cur magis illa, quàm hæc non possit renunciari.

43 † Statuendum arbitror in hac quæstione, nobiles huic priuilegio posse renunciare, moueor cùm iure, tùm ratione; iure ex d. l. si quis. 29. cui nulla congrua potest assignari interpretatio: ratione, quia si aliqua ex causa non posset renunciari maximè, quia toti nobilium ordini priuilegium hoc esset concessum, at hoc nullo iure cauetur, vt constat ex d. l. medicos, & ex eo, quòd in diuersis prouincijs diuersum circa hoc seruatur ius: ergo consequens est, huic priuilegio vt personali posse renunciari, vt planum est.

44 † Superest modò, vt negantium diluamus fundamenta, quorum primum desumebatur ex c. si diligenti, & c. contingit. facilem tamèn habet explicatum cum priuilegium, de quo ibi, toti clericorum ordini concessum noscatur, vt ex verbis illorum iurium clarè deprehenditur; & si alitèr rem hanc consideret,

45 Barb. vbi sup. num. 14. & seq. † secundum dè l. alia, §. eleganter, sine dubio cessat, si consideremus, diuersam esse rationem priuilegij marito concessi, & nobilibus, cum rigore plenum leges existiment, quem in solidum obligari ad illius rei restitutionem, cuius dominium Quiritarium habebat l. doce; 9. C. de rei vendic. neq; rationi congruit, vt ita malè cum marito agatur, quo peius agi non posset cum extraneo, arg. l. in

46 condemnatione, 124. D. de reg. iur. † Vltimum de l. ne quis, eodem est pacto interpretandum quo primum,

mum, vt ostendunt illa verba, *ne quis ex corpore togatorum*. Et agnouit Salyc. ad eundem locum, eam cum glos. reddens rationem; quia illud tendit in sui ordinis ignominiam. Crederem tamèn Imp. Arcad. & Honor. ad African. Præf. Præt. rescripsisse, ne togati prouinciales susciperent functiones, vt aduocati à munere suo publico ob prouinciales functiones nō auocarentur.

Et hęc sunt, quę in hac tortuosa iurisdictionis materia, disputationis gratia nostris auditoribus tradidimus.

Hactenus de Cap. 2.



CAP. DILECTI. vi. de Iudicijs Interpret.

Summa capita in ea contenta.

1 *TExtus verba referuntur.*
2 *Ratio dubitandi proponitur.*
3 *Communis ratio decidendi.*
4 *Vera ratio, cur non sit necesse actionis nomen exprimere in libello.*
5 *Explicantur textus verba.*
6 *An Cæsareo iure in libello sit nomē actionis exprimendū.*
7 *Resoluitur esse exprimendum.*
8 *Vaconij sententia defenditur, nempè non esse exprimendum, & Alciati argumentis satisfit.*
9 *Defenditur Alciatus, & respondetur argumētis Vaconij.*
10 *Quo pacto olim actiones proponerentur.*
11 *An Pontificio iure actionis nomen in libello sit exprimendum.*
12 *Resoluitur non esse exprimendum.*
13 *Reprehenditur Anton. qui existimabat, actionum vsum Pontificio iure non esse necessarium.*
14 *Ex pacto nudo nullo iure datur actio.*
15 *Interpretantur c. 1. & c. 3. de pactis.*
16 *An inepta actionis expressio in libello facta causā vitiet.*
17 *Resoluitur non vitiari, dummodo ex facto ius agentis colligatur.*

18 *In-*

18 *Interpretatur c. examinata, hui. tit.*
19 *C. cum dilecti, de empt. & vendit.*
20 *L. 1. D. si mens. fals. mod. dixer.*
21 *Actio interdum pro intentione accipitur.*

INter alia tituli de iudicijs capita bacchanalibus hiscè diebus sextum suscepi interpretandum, non alia ratione ductus, nisi quòd eius enucleatio septem ipsis interpretationibus commodè valeat absolui; ita enim fiet, vt nihil cęptum relinquere imperfectum videamur. Inquit Alex. III. Summus ecclesiæ præsul Exonen. Episc. & capitulo Londonensi rescribens.

1 † *Dilecti filij Prior, & clerici de Guiteburnensi contra Eboracensem Archiepiscopum Apostolicæ Sedis Legatum grauem querimoniam transmiserunt & inf. Prouideatis attentiùs, ne ita subtiliter (sicut à multis fieri solet) cuiusmodi actio intentetur inquiratis; sed simpliciter & purè factũ ipsum, & rei veritatem, secundum formam canonum, & sanctorum patrum instituta inuestigare curetis.* Extant hęc verba in c. 1. de appell. in prima decret. collect. Huius cap. ea est sententia. *Nullum teneri actionis nomen in libello exprimere, sed sufficere ita dilucidè factum proponere, vt ex eo agentis ius colligatur.* De cuius veritate erit tractandum.

2 † Verùm quia nullis alijs funibus educi potest veritas è puteo illo, in quo Democritus demersam esse ferebat, quàm in contrariũ adductis rationibus, ideo superiorem sententiam Cæsareo, ac Pontificio iure

ita infringere conabor illo ex l. 1. D. de eden. quo loci Vlp. ait, *qua quisque actione agere volet, eam priùs edere debet, nam æquissimum videtur, eum, qui acturus est, actionem edere: vt proindè sciat reus, vtrum cedere, an contendere vltra debeat, & si contendendum putet, veniat instructus ad agendum cognita actione, qua conueniatur.* Hoc verò ex c. 1. de mut. petit. vbi idem Alex. III. statuit, actionis nomen esse in libello proponendum, nihil enim aliud sibi volunt illa verba, *mandamus quatenus actione Plebani, & clericorum proposita, & responsione facta.* Quod & Innoc. III. authoritate probatur, qui in c. examinata. 15. hoc ipso tit. de iud. ex eo intentionem cuiusdam reiecit, quia incongruè ac ineptè in iudicium actionem deduxerat: quasi dicere voluerit, actionis esse exprimendum nomen, vt intentionem suam quis consequatur.

3 † Adhuc tamèn Alexandrinam decisionem, sententiamque ex ea petitam credo substinendam ea ratione ex Salmantinis, quia Cœsares formularum vsum sustulere in l. 1. & 2. C. de form. & impetr. act. subl. & per consequens voluere, vt factum clarè proponere sufficeret, vt iudicium sustineatur. Quorum sententiā sequutus Alex. decreuit, non esse de libelli substantia, actionis nomē proponere in libello: nam sicut leges non dedignantur, sacros canones imitari, ita & sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adiuuantur, c. 1. de noui oper. nunc. in quam rationem communis descendit, sed malè. Primò quia imperatores in d. l. 1. & 2. neutiquàm statuere, minimè ne-

cessarium esse, actionis nomen exprimere in libello; sed non esse opus impetrare actionis formulam, ipsãq; ita exprimere, vt q̃ à syllaba cadit, à causa cadere intelligatur, vt ex illorum iurium verbis apparet. Atq; ideò cũ hæc quæstio nõ fuisset in disceptationẽ vocata, non possumus dicere, ab ipsis decisam. Deindè quia si rectè perpendantur verba d. l. 2. facilè ex eis colligetur, etiam post illam legem nomen actionis esse exprimendum, nam dicunt imperat. *si aptam rei, & proposito negotio competentem eam esse constiterit*, ex quibus datur intelligi, actionem esse proponendam, licet non ea formula, quæ antiquitùs obseruabatur. Postremò nam Alex. non Imperatorum constitutiones, sed formam canonum, & sanctorum patrum respicit statuta.

Adquiri, voluere Accur. & Bernard. in glos. adhāc rub. & ad tit. D. cod. dum sententiam vsucapioni ęquipararunt, qua dominium adquiritur, l. vsucapio, 3. D. de vsucap. quæ sententia probari videtur Vlpiani authoritate lib. 16. ad edictum in l. sunt, 3. D. de Publ. in rem act. vbi enumerans causas ex quibus Publiciana licet agere, hæc subiungit verba, *item si res ex causa iudicati tradita sit.* Et lib. 25. ad edictum in l. sed si, 3. §. item, D. de reb. cor. in quo quærit, si fundus petitus sit, qui pupilli fuit, & contra pupillum pronuncietur, tutorq; restituat, valeat alienatio nec ne, & respondet valere alienationem propter rei iudicatæ authoritatem. Clariusq; constat Iustin. loco in §. fin. inst. de offic. iud. in illis verbis, *quod autem istis iudicijs alicui adiudicatum fuerit, id statim eius fit, cui adiucatum est.* Cuman. ad Rubr. D. de re iud. Ias. num. 44.

Orosc. 21. in l. ex hoc iure, D. de iust. & iure.

Hac tamén in re contrarij sibi fuere Accur. & Bernard. nam ille in l. Iulianus, 60. verb. natura, D. de condict. indeb. hic verò in c. cum venerabilis. 6. verb. veritate, de exception. existimarunt, sententiam nec ius facere, nec constituere. Pro qua sententia põderatur Pauli locus in d. l. Iulianus, ibi *licet enim absolutus sit, natura tamen debitorem manere*. Papiniani in l. exceptio, 28. D. de exceptione rei iud. *Exceptio* (inquit) *rei iudicatæ nocebit ei, qui in dominium successerit eius, qui in iudicio expertus est*. Vlpiani in l. sed & si 11. D. de iure iur. ibi *actionem in factum ei dandam*. Aretin. num. 3. Imol. in princ. Ias. num. 16. Rip. ante n. 1. ad Rub. D. de re iud. Bart. num. 6. in d. l. ex hoc iure, Alex. & com. in l. Pomponius. 13. §. si iussu, D. de acquir. possess.

3 Omissis hoc in articulo interpretum ariolationibus, in ea sum sententia, vt existimem, iudicis sententia non adquiri dominium nisi adiudicatione, traditionevè secuta, cũ pariat titulum habilẽ ad adquirendum. Moueor Vlpiani authoritate in fragm. tit. 19. de dominijs & adquisitionibus rerum, ibi *singularum rerum dominia nobis adquiruntur mancipatione, traditione, vsucapione, in iure cessione, adiudicatione, lege*.

De mancipatione, vsucapione, in iure cessione, ac lege non est cur sermonem instituamus, quo autem pacto alienatio eis fieret, videre licet ex d. Vlp. loco, & ex not. Cuiac. ad illum.

De traditione autem, & adiudicatione nonnulla dice-

dicemus; *traditio proprie est alienatio rerum. Nec mancipi rerum dominia ipsa traditione aprehendimus, scilicet si ex iusta causa traditæ sunt nobis.* l. traditionibus, 20. C. de pact. §. per traditionem, inst. de rerum diuisione. Vnde cum iudicis sententia iusta sit causa, si ex ea nobis res tradatur, dominium sanè adquirimus. In quem sensum dictum ab Vlp. credo in d. l. sunt. 3. Publicianam actionem competere ei, cui ex causa iudicati res tradita fuit. Et ab eodem valere alienationē, si iudicis sententia pupilli res sit restituta, in d. l. sed si. 3. §. item; Accessionemq; esse dandam si iussu iudicis res sit restituta in d. l. Pomponius, §. si iussu. Exceptionemq; competere, quæ rei iudicatæ dicitur in l. 1. cum seq. D. de excep. rei iudic.

4 *Adiudicatione dominia nanciscimur, per formulam familiæ erciscundæ, quæ locum habet inter cohæredes: & per formulam communi diuidundo, cui locus est inter socios: & per formulam finium regundorum, quæ est inter vicinos. Nam si iudex vni ex hæredibus, aut socijs, aut vicinis rem aliquam adiudicauerit statim illi adquiritur, siue mancipi siue nec mācipi sit.* Adiudicatione .n. dominiū adquritur, neq; vllus alius est casus, in quo iudicis sentētia dominiū adquiratur. Quo in casu Iust. loquitur in d. § fin. ratio in eo consistit, nam ante adiudicationē quilibet pro indiuiso dominus erat. notat Anton. cont. lib. 1. disputat. c. 12.

5 Hinc constat, quòd cum sententia non æquiparetur in eo vsucapioni, vt per eam dominium adquiratur, non posse admitti superiorem continuationem. Sed

ex eo esse petendam. (si Cumano credimus) nam vsucapio introducta est, vt aliquis esset litium finis, l. fin. D. pro suo, cum verò sententia controuersijs finem imponat, l. 1. D. de re iud. ideo annectitur hic titulus titulo de prę scriptionib.

6 Verùm & si hęc continuatio valeat admitti in connexione digestorum, non tamen existimo, hac de causa post tit. de præscript. agi de sent. & re iud. Sed quia iudex partibus auditis, exceptionibusq; admissis, ad sententiam deuenire debet. Mens enim compilatoris fuit in hoc secundo Decretal. lib. (vt in rub. de iudic. num. 3. notaui) processum instruere iudicialem, cuius finis sententia est, ita Venator. ita Germon. ad hanc Rub. & hæc sunt, quæ ad eius primam partem videntur pertinere.

7 Ad secundam partem primo loco erit videndum, vndè dicatur sententia, quam à sentiendo dictum esse constituunt, qui de verbis iuris scripsere, & Abb. ad hunc locũ n. 4. l. sicuti. 8. §. sed si quęratur, D. si seruit. vindic. l. 3. vers. eiusdem quoq; in fine, D. de testib. c. si testes. §. sæpè, ibi *sed ex sententia animi sui*, 4. q. 3. Verùm cum ethymologiæ proxima sit significatio operæ pretium duxi, paucis videre, quo pacto in hoc titulo accipiatur sententia; & pro iudiciali pronunciatione accipi, ignorat nemo, cum ex lege, vel æquo & bono pronunciatur: tunc enim iudex sancit, ac declarat, quid ius velit animi quadam censura secundum facti qualitatem, ita Ioan. Calbin. de verb. iur. verb. sententia.

8 Deindè

8 Deinde constituo, *sententiam ita sumptam esse principalis controuersiæ, vel incidentis dubij per iudicem factam determinationem*. l. 1. D. de re iud. c. 2. hui. tit. Host. in sum. §. 1. Speculator tit. de sent. prol. §. 1. Abb. d. nu. 4. Paul. & Rom. num. 1. Ias. num. 6. ad Rub. de re iud. Medic. de diffin. diff. 21. qua diffinitione vtraq; sententia diffinitiua & interlocutoria comprehenditur.

Tertio loco animaduerto, sententiam duplicem esse diffinitiuam vnam: interlocutoriam alterã, (quidquid existiment interpretes ad hac Rub. & ad tit. D. de re iudicata, qui in ea fuere sententia, vt arbitrarẽtur, tertiam sententiæ dari speciem, quę mixta debet appellari, quorum iudicium non probo, cum nullo iure caueatur, mixtam esse sententiam.) *Diffinitiua sententia*, ita à diffiniendo dicta, *est legitima competentis iudicis determinatio principali controuersiæ finem condemnatione, vel absolutione imponens*.

9 † Quæ diffinitio ita (vt ius patitur) à nobis tradita genere constat, ac differentia; nam verbum, *determinatio*, ponitur loco generis, cętera autem differentiæ locum faciunt. Dicitur in diffinitione, *legitima determinatio*, quia iudex secũdum id, quod legibus, moribus, ac constitutionibus cautum est, iudicare tenetur, c. 1. de constitut. princ. inst. de offic. iud. aliter enim lata sententia est illegitima, ac per consequens nulla, c. 1 c. inter cœteras. 9. hui. tit. Adijcitur, *cõpetentis iudicis*, quia à non competente iudice lata sententia non valet, c. at si clerici, 4. de iud. l. 1. & per tot. C. si à non comp. iudice iudic. esse dicatur. Dicitur, *principali*

contro-

controuerſiæ finem imponens, ad differentiam interlocutoriæ l. exitus, 35. D. de adq. poſſ. l. rem. 12. circa fi. C. de iudic. hæc enim ſententia ita diffinit, vt controuerſiæ finem imponat, l. ex ſtipulatione 7. l. poſt ſententiã. 9. C. de ſent. & interl. omn. iud. Subijcitur, *condemnatione vel abſolutione*. quia aliter pro nulla habetur. c. fin. verſ. diffinitiua, vbi gloſ. 2. q. 6. c. illa, 3. de accuſ. l. 1. D. de re iudic. & l. Præſes, 3. C. de ſent. & interloc. Imol. n. 4. Abb. n. 4. Fel. 1. ad hunc locũ. Paul. n. 2. Rom. 2. Aretin. 8. Alex. 7. Iaſ. 3. Soc. 1. & Rip. à num. 11. ad Rub. D. de re iud. rectè diſputans andetur ſententia mixta.

10 † *Interlocutoria autem ſententia*, ab interloquendo appellata, *eſt emergentis dubij per competentem didicem directò facta determinatio.* Dixi *emergentis*, nam omnia quæ in iudicio opponuntur, emergentia dicuntur, Abbas in c. fraternitatis, 17. notab. 3. de teſtib. Rip. in l. quod iuſſit, 14. num. 13. D. de re iud. & Robert. lib. 1. ſent. cap. 12. Adieci *directò*, quia licet interlocutoria ſententia per obliquum aliquando cauſam perimat principalem, vt in ſententia, qua appellatio deſerta pronunciatur eſt videre, cum tamen directò ſuper emergẽti articulo feratur, interlocutoria propriè appellatur ex Fel. num. 6. & Rip. num. 15. vbi ſup. quemadmodum ſententia diffinitiua, & ſi interlocutorię ſumat vires, non ex eo definit eſſe diffinitiua, vt in exemplo gloſ. verb. inanes in cap. fin. de elect. in 6. Bald. in l. cum 4. num. 4. C. ſi aduerſus rem iudic. per tex. in l. intra vtilẽ 40. D. de minorib. Menoch. de adi-

adipisc. rem. 4. nu. 802. Sententia igitur interlocutoria non de summa controuersia, sed de rebus ad eã pertinentibus diffiniendam pronunciatur, l. dicere, 23. §. vnde, D. de recep. arb. glos. verb. interlocutionibus, in Auth. de litigios. §. ad excludendas. col. 8. l. à Diuo Pio. 15. §. in venditione. D. de re iud. & l. 1. §. hinc consequenter, D. de appellat. c. significantibus, 38. de off. deleg. Agitur autem de interlocutoria in tertia parte Rub. D. de re iud. & in sec. C. de sent. & interloc. hæc autẽ propriè interlocutio appellatur, cum nec dum sententiæ nomen mereatur.

11 Licet autem diffinitiua sentẽtia in eo cum interlocutoria conueniat, vt à cõpetenti iudice, iuris ordine seruato, sint ferendæ, in multis tamen differunt. Primo in eo, quòd diffinitiua finem imponit controuersiæ, secùs interlocutoria, vt ex sup. dictis cõstat. Deindé, nã illa ita finem negotio impónit, vt nec iudex, qui tulit, ampliùs se valeat intromittere, l. iudex, 55. D. de re iud. hæc vero potest ab eodem retractari, l. quod iussit. 14. D. eod. tit. Tertiò, nam ab illa fere semper potest appellari, l. 1. in princ. D. de appellat. ab hac autem non vtiq; d. l. 1. §. hinc consequenter, l. ante sententiæ, 7. C. quorum appellat. nõ recipi. l. 2. C. de episc. audi. In quo animaduerto, discrimen esse constituendũ inter Cæsareum, ac Pontificium ius, nam leges prohibent; Canones permittunt, c. non ita, 18. 2. q. 6. c. super eo, 12. de appell. notant interpretes ad c. vt debitus, 59. de appellat. Sed cum Pontifices experiẽtia doceret, Cæsareas le-

ges optimas esse, in conc. Later. à Leon. X. sess. 10. fuit sancitum, vt in foro ecclesiastico seruarentur. Quod & quibusdam in casibus Trid. admisit in c. 1. de ref. sess. 13. & Greg. XIII. Pontif. Max. reg. 35. Cancell. sancitum noscitur. Nisi interlocutoria vim habeat diffinitiuæ, l. ait prætor 7. §. permittitur: vers. nisi fortè, & l. intra vtile, 40. D. de minorib. contineat ve grauamen per diffinitiuam (vt nostri loqunntur) irreparabile, l. 2. D. de appellat. recip. c. non solent, 30. §. ante sententiam. 2. q. 6.

Quartò, illa non nisi causa cognita pronunciatur, hæc verò etiam extra causæ cognitionem, l. quid ergo, 13. §. quantum, D. de his qui not. inf.

Vltimò, nam illa non nisi à iudice sedente, & ex libello (quem periculum appellant) recitante profertur, l. 1. C. de sentent. ex peric. recit. hæc autem non ita; has, & alias differentias prosequuntur interpretes ad d. l. quod iussit.

12 Quarto loco obseruo sententiæ causam efficientẽ esse iudicem competentem; impulsiuam ipsam equitatem; materialem omnes res, de quibus controuersia esse potest; formalem iuris ordinem; finalem litiũ expeditionem. Sed de effectu paucis videamus, & quanuis plures enumerẽtur à Dan. Venat. in analyp. iuris Pontif. lib. 2. tit. 27. de illo tantum agere intendo, qui cernitur in actione, quæ ex iudicato descendit, de quo multa tradit Felin. ad hunc locum, nu. 23. Germon. in parat. vers. reiq; iudicatæ. Aretin. nu. 11. VVesemb. nu. 8. ad rub. D. de re iud. in cuius

secunda

secunda parte nempè, de effectu sententiarum, multa dixere interpretes. Bald. in l. actori. 8. C. de reb. credit. Imol. in l. miles, 6. §. iudicati, D. de re iud. Præcipuus igitur effectus, qui ex sententia oritur est actio, & exceptio, quæ ex ea datur. Actio, non quæ proprio, ac eleganti nomine iudicati appellatur, vt d. §. iudicati, moti voluere nonnulli; Sed in factum ciuilis, prout ex d. l. actori, clarè constat. (quæ autem in factum actio tam ciuilis, quàm prætoria sit, explicant Cuiat. in recit. ad tit. D. de præscript. verb. & VVesemb.) Nec contrarium Modestinus probat in d. §. *iudicati*, nam Accurs. interpretatur, id est, *condemnati*, quæ expositio, & si iuuari possit ex §. qui iudicati eiusd. leg. ne tamen videamur, aliter verba, quàm sonant, interpretari, possumus dicere: Modestinum intelligere actionem, quæ ex iudicato datur, quæ in factum est, perpetuam esse, rei persecutionem continere, hęredi, & in hæredem competere. Causam enim, ex qua actio datur, consultus ostendit, non actioni nomen imponit; quemadmodum dicimus iurisiurandi actionem, hoc est, actionem in factum, quę ex iureiurando datur. in §. item si quis, inst. de actionibus, & rei iudicatæ exceptionem, quæ ex re iudicata oritur, in l. 1. cum seq. D. de exceptione rei iud.

13 Hinc sumpta occasione non incongruè primò quæritur, *An si alicuius ciuitatis statuto caueatur, vt sententia sine consilio sapientis lata nulla sit, debeat intelligi de sententia diffinitiua tantum, an verò sit extendendum, vt & interlocutoriam comprehendat.* Quem sanè articu-

lum, Alexan. nu. 5. Ias. 8. & Rip. nu. 5. ad Rub. D. de re iudicata excitarunt. Et in eo affirmantium sententia videtur suaderi, cùm quia sententia est nomē genericum, aptum ad comprehendendum non tantū diffinitiuam, sed etiam interlocutoriam sententiam; cùm genus æqualitèr prædicetur de omnibus suis speciebus: quod indicat nostra rubrica, quæ inscribitur de sententia, & re iudicata, & sub illo genere sententia continentur diffinitiua, & interlocutoria, de quibus in singulis huius tituli capitibus disceptatur. Tùm quia rescriptum, (in quo strictam fieri debere interpretationē, vt in statutis nouerunt omnes) impetratum, vt duo de causa cognoscant, vnus sine altero, nec diffinitiuam, nec interlocutoriam ferre potest sententiam, cap. causam. 16. de offic. deleg. ibi, *quia cum causa duobus committitur, sententia vnius non tenet.* vbi animaduertit Abb. not. 3. tenet gloss. verb. sententias, in Clem. 1. huius tituli. Igitur pari ratione statutum illud de vtraq; sententia intelligetur.

Negant tamèn, qui rem ipsam bené perpendunt. Primò nam sentētia, & interlocutio vti distinctę omnino considerantur in Rub. D. de re iudicata, & de effectu sententiarum, & de interlocutionibus. & in Rub. C. de sententijs, & interlocutionibus omnium iudicum, quæ apertè denotant sententiæ appellatione interlocutionem non contineri. Deindè hoc videtur Vlpianus insinuare in d. l. quid ergo, 13. §. quantum. D. de ijs, qui notant. inf. quatenus ratiocinatur,

multum

multum intereſſe, an aliquid cauſa cognita ſit pronunciatum, an quædam extrinſecus ſint elocuta. Quaſi dicat, diſſimile eſſe pronunciare, hoc eſt, ſententiam ferre, & eloqui, id eſt interlocutoriam interponere. Tertio loco perpenditur Iuliani authoritas in l. dicere, 23. D. de recep. arbitr. Ait enim, *Dicere autem ſententiam exiſtimamus eum, qui ea mente quid pronunciat, vt ſecundum id, diſcedere eos, à tota controuerſia velit.* Qui enim interloquitur ſententiam non dicit, ergo abſq; ſapientum conſilio poterit eloqui. Quarto loco adſtipulatur Celſus in l. 14. D. de re iud. *quod iuſſit* (inquit) *vetuit ve Prætor contrario imperio tollere, & remittere poteſt, licet de ſententijs contra*. Iuncta Accurſiana expoſitione verb. ſententijs. Poſtremo ex cap. venientes, 19. de iureiur. ibi, *cum, & leges etiam ſeculares poſt ſententiam beneficium appellationis non denegent aggrauatis*, iuncta l. 2. C. de epiſcop. audien. & dictis ſupra num. 11. verſiculo in quo animaduerto.

14 Statuendum in hoc articulo, *tali ſtatuto interlocutionem non contineri*. Moueor ea ratione, quia in ſtatutis verba ſunt accipienda ſtrictè in ſuo proprio ſignificatu (vt argum. l. 3. §. hæc verba ſiue quis, D. de negot. geſt. voluere omnes, qui de ſtatutis ſcripſere) At appellatione ſententiæ propriè venit diffinitiua, vt apparet ex proximè dictis, & tenet gloſ. verb. ſententiæ in l. prima, §. biduum, D. quando appell. ſit. gloſ. verbo recepturæ,

in

in c.cum olim, 34.de teſtib.Paul.nu.2.Imol.2.Rom. 21. Aret. 5.Alex. 1.Iaſ.12.& Rip.7. ad rub. D.de re iud.& Felin. nu.7.in hunc locum. Neq; enim video, cur ad interloquendum ſapientis conſilio opus ſit, niſi interlocutio vim habeat diffinitiuæ; aut grauamen contineat per diffinitiuam irreparabile; his ſanè caſibus, cum ſtatuti vigeat ratio, eius diſpoſitionem locum habere, ignorat nemo.

15 Neq; ea, quæ pro affirmantium ſententia conſiderabam, quidquam faciunt; negandum itaque eſt, ſententiam propriè, genus eſſe, cum interlocutio propriè ſententia non ſit, ſed proprio nomine ſtet in tit. D. & C. iam perpenſis, non enim dicimus, cum iudex interlocutus fuit, ſententiam tuliſſe, dixiſſe ve, d.l.dicere, & l. 1.§. hinc conſequẽter, D.de appellat. ſed interlocutum fuiſſe, & in noſtro titulo de ſententijs agitur diffinitiuis, & ſi de interlocutionibus quidquam adijcitur, non eſt, cur reprehendamus Gregorium; cum minus propriè ſententiæ dicantur, ex ſententia eorum, qui ita ſentiunt.

16 Nullam difficultatem ſecundum continet, cum vnus iudex ſine altero ex defectu voluntatis eius, qui iuriſdictionem mandauit, non valeat in cauſa procedere, niſi eſſet ſpecialitèr prouiſum, c.prudentiã. 21. c. vno:42.de offic.deleg.l.ſi in tres.20.D. de recep. arb. Atq; ideo nihil mirum, ſi nec interlocutoriam, nec diffinitiuam ſine altero poſſit, alter pronunciare; quod eſt diuerſum in propoſito ſtatuto; quia interlocutio parum nocet, litem non finit; ſententia, & multum

tum nocere potest, & finem imponit; nec tantum consilium est requirendum in re, quam iudex ipse suo imperio potest tollere.

17 Quæritur deindè, *An sententia sub conditione lata valeat*. Et latam non valere, constat ex l. actus, 78. D. de reg. iur. quo loci disponitur, actus legitimos non recipere diem, aut conditionem: At sententia est actus à iure introductus, vt finem litibus imponat, ergo. Præterea incertitudo actum vitiat, l. duo sunt, 30. D. de testam. tut. conditio autem redit actum incertum, quod est contra sententię naturam, §. curare, inst. de action. Vltimò probatur in l. 1. §. biduum, D. quando appell. sit. cuius verba refert Gratian. in c. biduum, 29. 2. q. 6. *sanè quidem non est sub conditione dicenda sententia*. Valere tamen sententiam probat Vlpianus in d. §. biduum, ibi, *sed si fuerit dicta, quid fiet? & est vtile, statim tempora ad appellandum computari debere*. Corroboratur Celestini authoritate in c. præterea, 40. de appellat. ibi, *si quis iudex ita protulerit sententiam; nisi Sempronio infra viginti dies satisfeceris, te excommunicatum, vel suspensum, aut interdictum esse cognoscas*.

18 Resoluendum igitur est, aliam esse conditionem intrinsecam, aliam verò extrinsecam, interpretes ad l. conditiones, 98. D. de condition. & demonstr. l. 3. D. de leg. 1. conditio intrinseca, quæ descendit ex actis assertorijs, vel probatorijs ipsius processus in sententia apposita valet, ac tenet, arg. d. l. conditiones. Conditio autem extrinseca, quæ ex processu non

dependet

dependet, appoſita in ſententia non vitiat ipſam, retractatur tamen per appellationem d. §. biduum.

19 Contraria fundamenta nullius momenti ſunt, quia non eſt bona conſequentia, actus legitimi non recipiunt conditionem, neq; diem, ergo nec ſententia; nam ea admiſſa, eſſet fatendum, omnes conuentiones, quæ legitimæ appellantur l. legitima, 6. D. de pact. non recipere diem, nec conditionē, quod quàm ſit abſurdum, principia artis noſtræ docent. Actus itaq; ibi à conſulto enumerati, qui à lege ſunt adinuenti, vt statìm valeant, non recipiunt diem, aut conditionem, quia eorum natura repugnat, Petr. Fab. & Iacob. Rœuard. ad d. l. actus.

20 Ad ſecundum erit fatendum, incertitudinem vitiare actum, quando non poteſt certificari, d. l. duo ſunt, conditio autèm non redit ſententiam incertam omninò, cum appellationis interpoſitione huic rei prouiſum ſit, in d. §. biduum.

21 Vt tertium ceſſet, erit conſtituendum, diuerſum quidem eſſe quærere, an ſententia ſub conditione poſſit dici, an verò dicta valeat: nā Vlp. in d. §. biduū, conſulit iudicibus, ne ſub conditione ſententias dicant; non tamèn declarat nullas; imò valere oſtendit, quandoquidèm appellationis remedium proponit: quod ob publicam vtilitatē factum credo, prout alia multa ſubſtinentur, quæ tamèn fieri prohibentur, tex. ita accipiendus in l. Barbarius. 3. D. de officio Prętoris, cum Anton. Fab. in iuriſp. Pap. ſciēn. tit. 1. princ. 1. confut. 1. gloſ. verb. ſtatím, in d. §. biduū.

Ad

22 Ad tertiam partem interpretationis huius rubricæ *de re iudicata*, erit videndum. circa quod occurrit inuestigandum. *An hæc duo verba sententia scilicet & res iudicata idem significent*. qua in re Bart. ad l. 1. D. de re iud. sentire videtur, idem esse, dum asserit, indistinctè consultos his vocibus vti; cōsentit Beroi. ad Rubr. de appell. Cum quia descriptio à Modestino tradita, *Vt res iudicata dicatur, quæ finem controuersiarum pronunciatione iudicis accipit; quod vel condemnatione, vel absolutione contingit*; sententiæ diffinitiuę cōuenit, de qua diximus nu. 9. Tum etiam quia particula illa, *et*, posita inter duo substantiua nō disiungit, sed interpunctionis vim obtinet, c. 2. de rescript. ibi, *Et perpetuo illi renunciasse prebendæ*. c. monasteria, 8. de vita & honest. cler. ibi, *laici excommunicationi subdantur, et à cœtu fidelium fiant penitus alieni*. idem voluit Ang. ad d. l. 1. nu. 1. constituens differentiam inter Canonistas & Legistas, Imol. num. 1. Rip. nu. 5. ad eundem locum.

Diuersum tamen quid esse sententiam, & rem iudicatam, rectè sentiunt Fulg. nu. 5. Castr. & Ias. 1. ad d. l. 1. quod & ex diuersitate tit. D. & C. de re iud. de except. rei iud. & de execut. rei iud. nec non de sentent. & interloc. de sentent. quæ pro eo quod inter. ac de sentent. pass. & rest. & ex nostro titulo colligitur clarè, qui ita inscribitur, *de sententia & re iudicata*, pōderando dictionem, *et*, de cuius natura est, vt inter diuersa ponatur, animaduertunt interpretes ad Rub. D. de iur. & facti ignor. iuncta regula ignorantia, de

V reg.

reg. iur. in 6. Niconic. ad c. quoniam contra, nu. 56. de probationib. vnde apparet diuersum significare, Soc. sen. nu. 1. ad d. l. 1. & Sarm. lib. 1. select. c. 13.

23 Vt igitur rem omnem paucis verbis absoluam, cõstituo. *Rem iudicatam sententiam esse nullo appellationis, vel supplicationis remedio retractabilem*, l. eleganter, 23. §. si post rẽ, D. de condict. indeb. c. quoad consultationem. 15. hui. tit. ibi *sententia in authoritatem rei transeat iudicatæ*. glo. 1. in d. l. 1. glos. verb. innouata. in c. non solum, 7. de appellat. in 6. Abb. & Fel. ad hunc locum, Dec. & Ber. ad Rub. de appellat.

24 Sententia igitur à re iudicata differt, vt causa ab effectu: cum sententiam dicat iudex, l. prolatum, 4. C. de sent. & interloc. ex eaq; nascatur res iudicata, d. c. quoad consultationem; illa finit litem, hæc dicitur, quæ finita est per sententiam, quæ in rem iudicatam Pandectarum iure transibat, vel si appellari non poterat, vel si tempore præscripto in l. 1. §. biduum, D. quando appell. sit, nõ interponeretur appellatio; hodie autem spatium decem dierum est pręfixũ, Auth. de appell. & intra quæ, coll. 4. c. cum dilectus, 32. in fin. de elect. c. significauerunt, 36. de testib. & d. c. quoad consultationẽ, amplius enim ius sententiæ nõ potest cõtrouerti l. post rem, 56. D. de re iud. l. 1. cum seq. C. eod. tit. in quem sensum dictum ab Vlp. credo, rem iudicatã pro veritate accipi, l. res 20 7. D. de reg. iur. Venator. ad hunc tit. Germ. ad eund. tit. VVesemb. ad Rub. de re iud. nu. 3.

25 In hoc tamen est animaduertendum, aliquando rẽ

iudica-

iudicatam ex lata significatione accipi pro sententia etiam ante transactum appellationis tempus, ex eo quòd res sit iam decisa, tex. ita accipiēdus in l. litigatoribus, 14. C. de appellation. Quo sanè pacto est intelligenda Modestini descriptio in l. 1. D. de re iud. quod ex rub. licet conijcere, si quidem in ea res iudicata, & sentētia cōfunduntur, cum inscribatur, de re iudicata, & de effectu sententiarum, & de interlocut. cessatq; primum contrariæ sententiæ fundamentum.

Secundum facilis est explicatus, nam propria natura dictionis illius, *et*, disiungere est, vt in Rub. nostra, & in tit. de iur. & facti ignor. aliquando verò interpunctionis vim habet, non ex eo, quòd inter duo nomina substantiua ponatur, sed quia subiecta materia ita postulat, vt in d. c. 2. & in d. c. monasteria. 8. Et cum his finitur Rub. interpretatio.

Hactenus de Rub.



CAP. SENTENTIA. I.

de Sententia & re iudicata

INTERPRETATIO

Summa capita in ea contenta.

1 *VErba huius cap. referuntur.*
2 *Explicantur singula huius cap. verba.*
3 *Sententia contra leges non valet.*
4 *Proponitur ratio, cur non teneat.*
5 *Contra ius litigatoris sententia lata valet.*
6 *Secùs si eius ordinem, solemnitatem, aut substantiam respiciat.*
7 *Interpretatio c. 1. 11. q. 3.*
8 *Cur à sententia nulla non sit necesse appellare.*
9 *An appellatio extinguat, an suspendat sententiam.*
10 *Communis resolutio huius quæstionis reijcitur.*
11 *Appellatio parit effectum suspensiuum, & deuolutiuum.*
12 *Quæstionis vera resolutio.*
13 *Interpretatur l. 15. §. si fundum, qui satisd. cog.*
14 *l. furti. 6. de his. qui not. inf.*
15 *l. 1. §. fin. ad Sen. cons. Turp.*
16 *An sententia nulla appellatione conualidetur.*
17 *Defenditur, non conualidari.*
18 *Omittitur com. interpretatio ad l. 3. §. falsus. rē rat. hab.*
19 *Vera traditur, & conciliatur cum l. 19. de appellation.*
20 *Exponitur l. 2. C. com. vti iudic.*

21 *Inter-*

1 Vius capitis verba, quæ explicare paramus, extant in registro Diui Gregorij lib. 2. epist. 6. c. 45. & in c. 2. primæ collectionis Decretaliũ tit. de sent. & re iud. vt aduertit Anton. Aug. in not. explicans hoc pacto text. in c. frater noster. 52. 16. q. 1. eorumq; fragmantũ refert compilator dicens. *Sentētia contra leges canones ve prolata, licet nõ sit appellatione suspensa, nõ tamē potest subsistere ipso iure*, horũ verborũ interpretationē in tres diuido partes, in prima verba sigilatim explanabo, in secunda duas cõclusiones deducã, in tertia frequentiores articulos excitabo.

2 *Sententia*, in hoc cap. in propria significatione accipitur pro diffinitiua, vt cõstat ex prototypo, & ex loquendi genere, nēpe *sententia prolata*, quod ad diffinitiuam refertur arg. l. qualem, 21. §. dicere, aliàs l. dicere. 23. D. de arbitr. & l. prolatam. 4. C. de sent.

&

& interl. non tamèn excluditur, quin, & interlocutio contra legeslata nullas vires habeat.

Contra leges Canones vè, in prototypo, *canonesq;* cōtra legem facere, est, id facere, quod lex prohibet, l. contra, 29. l. fraus, 30. D. de legib. Conan. lib. 5. com. c. 5. hic tamen scripturę ordo, in quo leges canonibus præferuntur ex eo nō placet, quòd vt scripturæ ordo non vitietur digniora sunt præferenda, nec aliquid peruertendum, l. 2. D. de adoption. in princ. §. item si quis, inst. de inutil. stipul. Felin. ad c. cū dilecta. 22. nu. 4. de rescript. At Canones legibus sunt digniores, igitur erat dicendum, *contra canones leges ve*. Adhuc substinendam existimo huius cap. litterā, nam in ijs, quæ simùl ponuntur in scriptura, non ita exactè est ordo seruandus, vt vnum non liceat alteri præferre, l. 2. §. prius, vers. sed si quis, D. de vulg. l. ambiguitates, 24. C. de testam. Præcipuè cum si antiquitatis ordinem attendamus, fateri necesse sit, leges esse canonibus præferendas; cum illæ à Romuli tēpore habeant originem, Conan. lib. 1. com. c. 1. Rœuard. lib. 1. de auth. prud. c. 1. & Paul. Manuc. de legib. Roman. c. 1. Caluin. in complemento lexici tract. de legib. hi verò Apostolorum tempore fuerint instituti, vt constat ex glos. ordin. act. apost. & 1. vol. conc. c. 1. ac Euseb. Cæsariensi lib. 2. hist. eccl. c. 1. hæc tamen, communi littera amplexa, rectè procedunt.

Verum enim verò, & si hæc rectè procedant, existimo tamen, alium esse illorum verborum sensum, nempè sententiam latam contra illud, quod & legibus

bus, & canonibus cautũ est, ipso iure non subsistere; namq; vt ex prototypo apparet, sententia illa cõtra leges Cæsareas, ac Pontificios Canones lata fuit, & ideò in eo legitur, *contra leges canonesq;*, non *canones ve* vt in vulgatis. Succeditq; dictum Fortun. Garc. fortunati ingenij viri in tract. de vlt. fin. illat. 13. quòd quando leges sunt iustę, & tendunt ad idem, quod canones, idem sunt, idemq; operantur, quod ius Pontificium, arg. c. 1. & 2. de nou. oper. nunc. & hoc casu non attenditur ordo, cum ad idem tendant.

Licet non sit appellatione suspensa. frequentiorem appellationis effectum denotant hęc verba, qui suspendere est sententiæ ipsius executionem, l. furti. 6. D. de his qui not. infam. c. cum inter. 13. huius tit. ibi, *cum nulla fuerit appellatione suspensa*.

Tandem subijciuntur illa verba, *non tamen potest subsistere ipso iure.* hoc est, iure ipso nulla est, ita vt appellatio, quæ noscitur introducta, vt iniquitatem iudicantium, vel imperantium corrigat, l. 1. D. de appell. nõ sit necessaria. Constat igitur à sententia nulla non esse necesse appellationem interponere, l. si expressim. 19. D. eod. tit.

3 Ad secundam partem interpretationis huius cap. duæ sunt deducendæ conclusiones. Prima sit, *Sententia contra leges canones ve prolata ipso iure nulla est.* Consentiunt huic sententiæ text. in cap. inter cæteras. 9. hui. tit. c. fin. §. item si sententia contra, 2. q. 6. l. si expressim. 19. D. de appellat. l. 1. D. quæ sent. sine appell. rescind. & l. 2. C. quando prou. non sit necessè.

Ratio

Ratio dubitandi ex eo depromitur, quòd satis expressum contra ius esse dicatur, vsuras vsurarum soluere, l. vt nullo. 28. C. de vsur. At sententia, in qua iudex in vsuris vsurarum condemnauit, sustinetur, l. Præses, 27. D. de re iudic. igitur sententia contra leges lata valet. Quod autem valeat etiam contra canones, constat ex cap. 1. 11. q. 3. quo loci disponitur, sententiam pastoris siuè iustam, siuè iniustam esse timendam, quod omni rationi videtur contrarium; nã vbi maius periculnm vertitur, ibi cautius est agendũ, & sententia excommunicationis ligat animam, c. nemo contemnat, 31. 11. q. 3.

4 Decidendi autem ea esse potest, nam iudex aliter sententiam dicere nõ potest, quàm legibus, moribus, ac constitutionibus cautum est, princ. inst. de offic. iud. l. rem, 14. C. de iud. c. 1. de constitution. vnde contra legem factum nullum esse dicitur, in l. nõ dubium. 5. C. de legib. nam leges seruare ipsa ratio postulat, cum in bonum publicum proditæ sint, l. digna vox, 4. C. de legib. multa in hanc rem tradunt Anchar. Imol. Abb. & Felin. ad hunc locum, Bartol. Bald. Angel. & Saly. ad l. prolatã, 4. C. de sent. & interloc. omn. iud.

5 Vt dubitãdi rationi satisfaciamus, erit distinguendum, aut enim sententia lata est contra ius disponẽs circa merita causæ, aut lata est cõtra ius concernẽs aliud præter merita causæ, vt considerat Cuiat. in recitacion. ad hunc locum. Primo casu si in ipsa error non exprimatur, sententia valida est; Secundo vero casu, siue error exprimatur, siuè non, nulla esse dicitur;

tur; in primo casu loquitur d.l. Præses, in secundo cap. nostrum. Differentiæ ratio in eo consistit, nam in primo casu iudici facultas cōceditur discernendi, quæ iura sint potiora ad absoluendum, vel ad condemnandū cum certa regula nō possit omninò dari, c.in nostra, 32.de testib.l.3.§.tu magis,D.de testib. atq; ideo pro iudice præsumitur, seruatis iuris regulis iudicasse,c. bonæ. 23.vers. nos. de elect. & c. in præsentia, 6.de renunc. cui præsumptioni statur, quousq; contrariū probetur, vel ex errore expresso, vel alio legitimo modo. In secundo autem casu nulla cernitur iudici concessa facultas arbitrandi, cum legibus obedire debeat,d.c.1.de constit. l.leges sacratissimæ,9. C.de legib. vnde sententia contra eas lata censetur nulla d.l.non dubium,5. C.de legib.

Ex hac distinctione deducitur,Primò cum Iacob, Cuiat.in operer.posth.ad d.l.Præses,eius vera interpretatio, nempe vt dicamus, esse intelligendam in primo casu; nam Præses prouintiæ non condemnauit expresse in vsuris vsurarum, quia hoc esset contra leges,& sacras cōstitutiones,ac per consequens sententia cōtineret expressum iuris errorem, & nulla esset, vt in secundo casu,d.l. vt nullp. Sed in certa quantitate, quæ,& si ex actis constaret, non deberi, nisi in ea venirent vsuræ vsurarum, quia tamen expresse non fuit legibus contrauentum,valuit sententia. Quæ interpretatio depromitur ex illis verbis d.l. *Modestinus respondit, si sententia certa quantitas continetur,nihil proponi,cur iudicati agi non possit*.Cui non repugnant

gnant priora illa, *Præses pronuntiæ in vsuras vsurarum condemnauit contra leges, & sacras constitutiones*. Quia non sunt verba sententiæ, nec formam, aut tenorem continent cōdemnationis, sed sunt verba proponentis, vel interrogantis, quibus Modestinus respondit.

Colligitur deinde cum Hugo Donell. lib. 27. com. c. 1. intellectus ad l. cum prolatis, 32. ff. de re iud. quæ loquitur, quādo fuit lata sententia à iudice contra constitutiones respicientes merita causæ, ac habentes varios intellectus, quo in casu sententia lata contra vnum intellectum valida est, cum hoc totum respiciat merita causæ, in quo iudici arbitrādi facultas est, existimanti potius illo quam alio sensu iuuari causam: nec eius est voluntatis, constitutionibus contrauenire, vt ostendunt illa verba, *eo quod non existimat, causam, de qua iudicat, per eas iuuari*.

Tertio loco explicatur cum Barbos. in l. maritum, 12. nu. 51. D. sol. matr. l. ex diuerso. 18. §. fin. D. sol. matr. in quo valuit sententia; quia error non fuit expressus, sed condemnauit, vt solueret dotem, non vt in solidum eius restitutioni fuisset obnoxius; nam solum tenetur in quantum facere potest d. l. maritum. & l. in condemnatione, 124. D. de reg. iur. vnde cum ius litigatoris condemnatio respiceret, errorq; non fuisset in sententia expressus, doli exceptione tutus erit.

Quarto loco hoc pacto exponenda est l. seruo inuito. 66. §. cum Prætor, D. ad Trebell. vbi nec error fuit in sententia expressus, nec contra ius legis quidquam factum proponitur, sed partis tantum: & ideo

restituitur hæreditas, quia publicè interest propter rerum iudicatarum authoritaté, cum pro iudice præsumptio adsit, vt Accur. & com. ibi agnouerunt.

Quinto declaratur loco l. posthumus, 6. §. si quis. D. de inoff. test. vbi Vlpianus respondet, valere sententiam, qua illis, qui ab intestato ius succedendi non habebant, inofficiosi querella fuit data, quod nulla alia ratione procedit, nisi quòd error expressus non fuit, sed ius tantum litigatoris respiciebat sententia, ac merita causæ.

Tandem est interpretandus textus in c. cum inter, 13. hui. tit. vbi valuit sententia, quia non fuit in ea expressus error, sed contra ius litigatoris lata; vt insinuant illa verba vers. fin. *etiam si contra ius litigatoris lata fuisset, dum contra ius cõstitutionis expresse lata nõ fuerit.* l. 2. vers. quòd si. C. quan. prouoc. non est necess. in quibus superior distinctio clarè probatur.

6 In secundo autem casu superioris distinctionis est intelligendus primò tex. in hoc c. 1.

Deinde sunt accipienda iura in c. inter cæteras, 9. & in c. ad probandum, 24. huius tit.

Tertiò c. fin. de ferijs, & l. si feriatis, 6. D. eod. tit. & in l. prolatam, 4. C. de sent. & interloc.

Postremò omnia iura, quæ sup. nu. 3. adduximus in confirmationem nostræ conclusionis.

7 Ad secundam argumenti partem, qua probare intendebam ex c. 1. 11. q. 3. sententiam contra canones latam valere, erit constituendum; sententiam excommunicationis dupliciter considerari posse, nam

potest esse nulla, & potest esse iniusta; est namq; nulla, quando in ea exprimitur error, vel ab incompetente iudice profertur, quo casu comprehenditur sub dispositione huius cap. & nec ligat, nec timenda est, c. cui est illata, 46. 11. q. 3. glos. verb. intolerabilem, in c. per tuas, 40. de sent. excom. Est autē iniusta, quando lata est contra ius litigatoris, vel iuris ordine non seruato, quo in casu valet, & timenda est, donec per superiorem de iniquitate cōstet, ac rescindatur, d. c. 1. 11. q. 3. c. sacro, 48. de sentētia excom.

Vtriusq; casus ea est differentia, nam in primo apparet de iniustitia, cum sit lata excōmunicatio contra leges, in secundo non incumbit excōmunicato, sed pertinet ad superiorem, decernere, an sit contra ius litigatoris, an iuris ordine non seruato lata, & cū simus in materia animę, propter dubiū timēda est.

8 Secunda autem conclusio, quæ ex hoc capite desumitur, est huiusmodi. *A sententia nulla, non est necesse appellare, vt suspendatur*. comprobatur ex l. si expressim. 19. D. de appell. l. 1. D. quæ sent. sine appell. resc. & l. 1. C. quando prouoc. non est necesse.

Dubitandi ratio depromitur ex eo iuris principio, quo docemur, à sententia quantumuis iniqua non appellantem eam approbare, l. 1. C. de postul. l. 1. C. si sæpius in integ. rest. postul. & l. hi qui. 7. C. de appell. igitur qui à sententia nulla non appellat, eam approbat, & per consequens cum sine appellatione non suspendatur, transiuit in rem iudicatam.

9 Decidendi in eo cōsistit, nam appellatio est introducta

ducta, vt iudicantium iniquitas reformetur, l. 1. D. de appellat. non vt sententia retractetur, quæ ipso iure nulla est, atq; ita non indiget remedio appellationis, cũ frustra interponeretur, quia præsupponeret sentẽtiæ validitatẽ cõtra iuris dispositionem, l. si constat. 12. D. de appell. c. fin. vbi glos. verb. necesse, hui. tit. libr. 6. priuatio namq; habitũ præsupponit.

Dubitandi rationi respondetur, illud principium tantùm euincere, intra tempus ad appellandũ concessum non prouocantem non posse vti remedio appellationis; non tamèn inde sequitur, non posse remedium nullitatis proponere, quia diuersa sunt omninò huiusmodi remedia.

9 Circa hãc tamèn cõclusionem dubitatur. Primò; *An appellatio sententiam extinguat, an verò suspendat.*

Extinguere, probari videtur Primò, ex l. sciẽdum. 15. §. si fundum, D. qui satisd. cog. ibi, *& rectè dicetur possessorem me esse, quia nihilominus possideo.* & l. furti. 6. D. de his qui not. inf. ibi, *pendente iudicio nõdum inter famosos habetur.*

Deindè, ex l. si quis filio. 6. §. hi autem, D. de iniusto rup. initoq; facto test. ibi, *si prouocauerint capite non minuuntur.* & l. qui cũ maior. 14. vers. accusasse, D. de bon. libertorum. ibi, *benigne dicetur, non pertulisse accusationem.*

Postremò, ex l. 1. §. fin. D. ad Sen. cons. Turpil. ibi, *quia prouocationis remedio cõdemnationis extinguitur pronunciatio.* & l. 2. §. constat, vers. eum. D. de pœn. vbi inquit Vlpian. *Eum accipiemus damnatum, qui non prouocauit.* Suspẽ-

Suspendere autẽ, constat, Primò ex nostro cap. ibi, *licet non sit appellatione suspensa*, c. cum inter. 13. hui. tit. ibi, *cum nulla fuerit appellatione suspensa*, & c. Pastoralis. 28. §. præterea, de offic. deleg. ibi, *vt interim executio sententiæ suspendatur*. Deinde ex c. Pastoralis, 53. §. verùm. de appellat. ibi, *eo quòd per appellationem interpositam excõmunicatis videtur iurisdictio dormitasse*. c. si à iudice. 10. eod. tit. lib. 6. Tertiò loco ex l. si causa, 32. C. de transaction. l. si quis, 11. vers. post diffinitiuam, C. de reb. cred. Quarto loco ex l. fin. C. sent. rescin. non posse. l. præcipimus, 32. §. hæc, C. de appellation. & l. ab executore, 5. C. quorum appell. non recip. Tandem hoc verum esse eo argumento demonstratur, si sententia appellatione extingueretur, semel extincta non reconualesceret, l. qui res, 98. §. aream, D. de solution. At reconualescit, nam si appellatio non prosequatur, transit in rem iudicatã, l. fin. §. illud. C. de temporib. & reparat. appellation. & Clem. si appellationem, 6. de appell. igitur concludendum est, suspendi, non autem extingui.

10 In hac controuersia hæsitat glos. verb. sequetur, in l. tale pactum. 40. D. de pact. & ibi Orosc. nu. 62. Barbat. in d. c. pastoralis, §. præterea, Dec. & Beroi. in Rubr. de appell. nu. 4. & Couarr. lib. vnic. pract. c. 23. communiter tamen in eam sententiam itum est, vt appellatio dupliciter consideretur, vno modo respectu temporis, quo appellatur, altero respectu temporis, quo prosequitur ipsa: Primo in casu appellatio dicitur operari effectum extinctiuum, cum interioris

iudicis

iudicis extinguat poteſtatem; in ſecundo autem caſu dicitur operari effectũ ſuſpenſiuum, eo quòd pendente appellatione exercitiũ ſuſpenditur inferioris.

Hæc tamèn diſtinctio non ſatisfacit dubitationi ſupra propoſitæ, qua non quæritur, an extinguatur, an vero ſuſpendatur iudicis à quo poteſtas, ſed an prouocatione ſentẽtia ipſa extinguatur, an ſuſpendatur.

11 In quo, vt vera tradatur reſolutio, exiſtimo animaduertendum, appellationem duplicem effectum operari deuolutiuum vnum, ſuſpenſiuum alterum, Gloſ. verb. conqueſtus, in c. ad reprimendum, 8. de offic. ordin. Deuolutiuus eſt, quo mediante cauſæ cognitio à iudice à quo ad iudicem ad quẽ deuoluitur, c. per tuas, 40. de ſentent. excom. ſuſpenſiuus, quo lata ſententia executioni non poteſt mandari, ſed euentus appellationis debet expectari, c. non ſolum, 7. de appellation. lib. 6. l. 1. D. nihil nou. appell. pend. & l. 3. C. de appellation.

12 Hoc animaduerſo, ſtatuendum credo, in propoſito articulo, appellationem, cui defertur, ſemper operari effectum deuolutiuum, cum ea mediante ab inferiore ad ſuperiorem deuoluatur cauſa; fere ſemper effectum ſuſpenſiuum etiam, quia executio ſententiæ ſuſpenditur, quouſq; appellatio proſequitur: interdum tamèn deuolutiuum tantùm, vt in cauſis, quæ ſecum habent paratam executionem, in quibus non retardata ſententiæ executione, deuoluitur cauſa: extinctiuũ nunquàm, quia non proſequuta nihil operatur.

Non

13 Non obſtāt pro contraria ſententia adducta fundamenta, non primum de d. l. 15. §. ſi fundum, quia ille contra quem lata fuit ſententia, nō amiſit poſſeſſionem, cum mediante prouocatione retinuerit, non ex eò, quòd ſit extincta, ſed ſuſpenſa, nam appellatione interpoſita, nihil eſſe innouandū, docet Vlpia. in d.l. 1. D. nihil. nou. app. pend.

14 Ad d.l. furti. 6. d. l. ſi quis filio, 6. §. hi autèm, d. l. qui cum maior. 14. verſ. accuſaſſe, & d. l. 2. §. conſtat, verſ. eum. erit dicendum, loqui de cauſis pœnalibus, ex quibus infamia, aut exiſtimationis læſio oritur, in quibus regula eſt, infamiam non incurri, niſi valida ſit ſententia, l. non alia, 19. D. de ijs, qui not. inf. Quare cum ſententia inferioris, pendente appellatione, in ſuſpenſo ſit, vt conſtat ex noſtro cap. 1. nihil mirū, ſi inter famoſos quis non habeatur; vel accuſare nō exiſtimetur benignè, qui non proſequitur appellationē; vel, prouocatione interueniente, capite non minuatur; vel inter condemnatos non connumeretur.

15 Maiorem ſanè difficultatem continet d. l. 1. in §. fin. in quo verbum *extinguo* nō accipitur pro eo, quod penitus deficit, ſed pro eo, quod ceſſat, & reſuſcitare poteſt, neq; eſt inſolens, verbum *extinguere*, accipi pro *ceſſare*, ſeu *ſuſpendere*, vt ibi notat gloſ. verb. extinguitur. Vel iudicio meo poteſt dici, prouocationis remedio cōdemnationis extingui pronunciationem, quod ad hoc ne videatur, quis cōdemnatus, vt in d. l. 2. §. conſtat, verſ. eum, quia expectandus eſt prouocationis euentus, & hoc ex capite videtur extinctus,

iter.

vt accusator in pœnam Senatus consul. incurrat, si nõ instet, vt appellationis prosequatur iudicium.

16 Deindè non incongruè quæri potest, *An sententia nulla appellatione conualidetur*, qua de re agit Abb. num. 22. Felin. nu. fin. ad hunc locum.

In quo articulo affirmat glos. verb. requiratur, in c. statutis, 8. 2. q. 1. Pro qua ponderatur ab omnibus Papiniani locus in l. cũ minor, 3. §. falsus, D. rem rat. haberi. *falsus procurator de rato habendo cauit: atq; ita dominus à sententia iudicis procuratore victo prouocauit, stipulationis defecisse conditionem apparuit, cum ad auxilium cõmune superatus confugisset*. Ex quibus verbis ità licet argumentari, sententia cum falso procuratore lata nulla est, c. ex insinuatione, 3. de procuratorib. At in proposita specie cũ falso procuratore lata proponitur, & quia fuit prouocatum, stipulationis conditio defecit. igitur appellatione conualidatur sententia nulla.

Pari ratione potest argumentum desumi ex l. licèt, 56. D. de iudic. vbi Vlpian. proponit, verum procuratorem in iudicio rem deducere verissimum esse, cũ aliàs sit nullũ iudiciũ; quærit deindè, si quis cum Procurator nõn esset, litem sit contestatus, deindè ratum dominus habuerit, an ratihabitione iudicium substineatur, & respondet, *videri retrorem in iudicium rectè deductam*. Ergo cũ quis à sententia nulla appellat, ei videtur cõsentire. Tertio loco l. 2. C. cõmun. vtriusq; iud. Quarto loco Arbitror ponderari posse verba huius cap. *licet nõ sit appellatione suspensa*, quæ denotant,

appellatione sententiam nullam suspendi, qui est frequens prouocationis effectus, vt in præcedenti articulo docuimus.

Negat tamen glos. nostra verb. contra leges, quæ mouetur ex l. si expressim. 19. vers. vndè, D. de appellation. quo loci modestinus de sententia contra iuris rigorem lata verba faciens hęc subiungit, *Vndè si quis ex hac sententia appellauerit, & præscriptione summotus sit, minimè confirmatur ex hac præscriptione sententia ; vndè potest causa ab initio agitari.* Deindè perpendo l. 1. vers. si apud. D. quæ sententiæ sine appell. rescind. Tertio loco probatur hæc sententia arg. l. si (vt proponis) 3. & l. cum. 6. C. quando prouoc. non est necess.

17 Statuendum in hoc articulo, *sententiam nullam appellatione non cõualidari*, ex d. l. 19. vers. vndè, nec enim rationi, aut æquitati conuenit, vt victus iuris ignorantia, aut imperitia prouocans, suo errore priuetur nullitatis auxilio ; nec congruum est, vt in priuati authoritate positũ esse videatur, vt suo consensu, quod iure non substinetur, valere efficiat.

18 Superest, vt argumenta in contrariũ adducta dissoluãtur, quorum primum desumptum fuit ex d. l. cũ minor, 3. §. falsus, D. rem ratam hab. cui vt satisfaciat glos. nostra verb. contra leges constituit discrimen inter sententiam, quæ ipso iure nulla est, & inter eam, quæ per exceptionẽ venit annullanda; ita sanè, vt illa appellatione non conualidetur, hæc autem vires capiat: de illa intelligit d. l. si expressim, de hac d. §. falsus. glos. sequitur Card. in Clem. 1. de iudic. q. 13.

Sed

Sed cum nulla congrua ratio valeat assignari, cur in vno casu conualidetur, in altero non, arbitror, superiorem interpretationem non posse substineri.

19 Vndè ex his quæ Abb. & Felin. ad hunc locum, & Guterr. ad l. nemo potest, nu. 421. D. de leg. 1. tradiderunt, ita existimo, in amicitiam esse redigẽdos Papinianum, & Modestinum, nempè vt dicamus. sententiam latam cum falso procuratore ipsius respectu, (dũmodo sit persona in quã mandatũ cadere possit) validam esse, glos. verb. solent, in l. licet, 24. C. de procurator. respectu verò domini nullã esse, non alio ex capite, nisi quia eius consensus deficit; Quare interueniente consensu, efficitur valida, vt notat Præpos. in c. dilecto 63. nu. 100. de appellation. cuius dictum confirmatur authoritate Vlp. in d. l. licet, 56. D. de iudic. hinc est, Papin. dicere in d. §. falsus, prouocatione domini stipulationis conditionẽ defecisse, quia dominus appellando factũ procuratoris approbauit. Sententia verò, quæ ex alio capite nulla est, veluti contra ius lata appellatione non cõualidatur, qua in specie Modestinus loquitur in d. l. si exprès sìm. Discriminis ratio in promptu est; nam in primo casu partes adhibere possunt, quod deficit, nempè consensum; in secundo autem non ita, cum deficiat iuris nostri dispositio. Eodem pacto respondendum est ad secundum de d. l. licet, 56. D. de iud. cum domini ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur, c. ratihabitio, 10. de reg. iur. in 6.

20 Tertiũ de d. l. 2. C. com. vtr. iud. cessat, si considere-

remus, diuisionem ibi in vim pacti, non in vim senten tiæ substineri, vt ostẽdunt illa verba, *quod quisq; eorum secundum placita possedit.* priuati enim, qui nõ habenti iurisdictionem illam tribuere non possunt, l. priuatorum, 3. C. de iurisd. omn. iud. non valent efficere, vt sententia, quæ à non iudice lata est, vires capiat.

21 Vltimum de nostro cap. eã accipit interpretationem, vt à sententia nulla non sit necesse appellare; vt suspendatur, quia satis ipso iure suspensa est, cum nullius sit momenti. Atq; ideo illa clausula ab imperitis causidicis in libello appellatiõis apponi solita, nẽpè, ꝙ *saluo iure nullitatis appellatur,* valdè inepta est, cũ appellatio à sñtia nulla interposita nihil operetur.

Ad tertiam partem interpretationis huius cap. videndum erit, quibus ex causis sententia in iure nulla dicatur; & apud quem iudicem de nullitate sit agendum; & intra quod tempus.

22 Circa primum constituo, sententiam esse ferendã à iudice competente, aliàs enim lata ex defectu iurisdictionis nulla est, l. 1. & toto tit. C. si à nõ compet. iud. c. 4. de iudic. hoc enim in primis considerandum est, vt sententia dicatur à competente iudice. l. cum Prætor, 12. D. de iudic. & l. 1. C. de recep. arb. iudice nẽpe, cui iure, aut consuetudine inter litigantes iurisdictio competat; & qui vt suspectus non fuerit recusatus, c. suspicionis, 49. de off. deleg.

23 Hæc ita posito, causas, ex quibus sententiæ in iure nullæ dicuntur, ad tria capita posse reduci, mihi videtur, ad ordinem nempè, substantiam, & solemnitatem

tatem; ex qualibet enim ex ijs causis sententia in iure nulla dicitur, prout de ordine est textus in l. prolatam, 4. C. de sent. & interl. de substantia, l. Præses, 3. C. eod. tit. ac de solemnitate, l. statuimus, fin. C. de sentent. ex peric. recitand.

24 Ad ordinem pertinet, vt solitus iudiciorum mos seruetur, præmittendaq; præmittatur, ac postponenda postponantur; cum ordo sit subordinatio actuum iudicij per prius & posterius, seruato legis mandato: nam vbi sunt actus iudicij, quilibet actus habet suum esse, quod in alium subsequentem tendit, ita ratiocinatur Bald. ad d. l. prolatam, num. 10. ordo autem in iudicio seruandus iure Pontificio præscribitur in hoc secundo Decretalium lib. à tit. de iudic. vsq; ad nostrū de sent. & re iud. qui ita exactè seruandus est, vt sñtia contra eum lata dicatur nulla; quia contra leges, canones ve prolata censetur, id est, contra ordinem à iure præscriptum. Veluti si libellus non sit oblatus; lis contestata; terminus ad probandum datus; in causa conclusum; partes ad audiendam sententiam ijs explicatis vocatæ: glos. verb. solitum, in d. l. prolatam, vbi Bart. Angel. & Salycet. ordo enim, qui de substātia iudicij est, debet omninò seruari.

25 Ad substantiā autē illud in primis uidetur pertinere, ne iuris expressū errorem sententia contineat, nā si ita feratur, nulla est ipso iure, l. si expressim 19. D. de appellation. text. in hoc c. 1. vel nisi contineat expressā condēnationē, vel absolutionē, vel æquipollēs l. 1. l. ait Prætor, 5. §. 1. D. de re iud. & d. l. Præses. 3.

Hinc

Hinc est, quòd cū sententia debeat petitioni conuenire, nec aliud continere, quàm quod fuerit petitū, quia debet libello consentire in re, causa, & actione, l. vt fundus, 18. D. com. diu. secundum communē allegationē, quæ mihi nō probatur ex Constan. lib. sing. q. iur. c. 9. c. licet Heli, 31. vers. descendam, de Simon. si super alio feratur, quàm quod fuerit petitum, nō valet, quia in substantia peccat. Quemadmodum si procuratore in causa existente, cōtra dominū sententia lata proponatur. l. 1. C. de sent. & interl. cum procurator litē cōtestādo ipsius efficiatur dominus, l. Post litem, 17. D. de procurat. hanc tamen Cæsarei iuris subtilitatem Pontificio iure locum non habere constat ex c. licet. 9. vers. fin. de probat. glos. verb. æconomi, in c. querelā. 24. de elect. glos. verb. monasterium, in c. suscitata, 6. de in int. rest. nam & si verū sit, initium obligationis ex procuratoris persona sumi, cum eo in iudicio quasi cōtrahatur, verius tamen est, alterius mandato causam agere, vndè nihil mirum, si contra mandantē lata sententia substineatur.

De sententiæ substantia videtur etiā esse, ne cōtra absentem legitimè ad iudicium nōn vocatū, l. ea quę. 7. C. quomodo, & quan. iud. ubi glos. ubi aduersus. ne contra infirmitate, alioquè iusto impedimēto detētū, l. quæsitum, 60. de re iud. (ad quā uidendus est ibidē Castr.) ne uè contra eum, qui in ultima carnis uiam sit ingressus, l. pen, D. quæ sent. sine app. uers. sententia feratur, nam hisce in casibus ipso iure nulla est. Et in eo cum nempè sententia à iudice corrupto fertur, l.

venales, 7. C. quando prouoc. non est necessè. Sententiæ enim, quæ summam in se continet æquitatem, nihil magis cótrarium precio videtur, quo facile flectuntur iudices, nam munera corrumpunt saxa.

26 Ad solemnitatem deniq; illud spectat, causæ cognitio, locus, tempus, & scriptura. Dixi causæ cognitionem ad solemnitatē pertinere, quia Iudici incumbit, plene discutere, l. iudices, 9. C. de iudicijs, ac cuncta rimari, c. iudicantem, fin. 30. q. 5. antequàm ad limen sententiæ ferendæ perueniat, quòd si proferat, priusquàm cognitū sit, nihil faciet, l. 9. §. vbi, de off. Procons. l. 2. C. de sent. exper. rec. text. elegans in l. ex stipulatione, 7. C. de sent. & interloc. Bald. ad d. l. prolatam, nu. 7.

De solemnitate est locus, nō turpis, sed honestus l. cum sententiam. 6. C. de sent. & interl. tribunal, non via, debet enim sentētia sedendo, non stando à iudice proferri, l. quisquis, in fin. vbi glos. C. de postulan. l. à procedente, 4. C. de dilation. notant scribentes ad l. 1. C. de sent. ex perie. recitand.

Tempus diurnum, nō nocturnum, c. consuluit, 24. de offic. deleg. fastum, non nefastum, l. si feriatis, 6. D. de ferijs, c. fin. eod. tit. instātiæ, nō autē lapsæ, quæ Cæsareo iure in criminalibus bienio, in ciuilibus triennio elabitur, l. fin. C. vt intra cert. temp. crim. quæst. termi. l. properandum, 13. C. de iudic. Pontificio autē iure tempus instātiæ perpetuum esse, voluit cōmunis mota ex c. venerabilis, penult. de iudic. verius tamē est, canonum iure instantiam trienio perire, & in d. c.

penul.

penul. aduersariorum dolum (vt Cuiat. in not. ad illũ tex. animaduertit) in causa fuisse, vt vltra trieniũ duraret, nec enim credibile est, Potif. Rom. qui animarum saluti consulere maximè student, lites, quæ ipsã perdere faciunt, in infinitum protrahi voluisse.

Scriptura tandèm requiritur, hoc est, vt sententia, in scriptis feratur, l. statuimus, fin. C. de sent. exper. recitand. periculo, idest, libello, aut tabella, in qua sententia perscripta est Cuiat. lib. 5. obseruat. c. 25. & in parat. ad d. tit. C. de sent. ex per. recita interpretans, l. criminis. 15. C. qui accus. non poss. vbi criminis inscriptio appellatur periculum, quia ex ea periclitatur accusator, ne calumniæ fiat reus, sicuti iudex ex sententia, ne litem suam faciat.

27 Enumeratis causis, ex quibus de nullitate sententiæ dici potest, operæ pretium erit videre, coram quo iudice sit agendum. In quo articulo erit animaduertendum, an nullitas proponatur ante sententiam diffinitiuam, an post: & an iudex, qui de causa cognoscit propriam, an mandatam habeat iurisdictionem:

Si nullitas proponatur ante sententiam diffinitiuã ratione alicuius decreti, aut interlocutionis, cõsiderandum est, an proponatur nullitas absq; appellatione; an simùl cum prouocatione. Primo in casu coram eodem iudice, qui de causa cognoscit; siuè propriam, siuè mãdatam habeat iurisdictionem, nullitas proponenda est. l. quod iussit. 14. D. de re iud. c. cum cessãte, 60. de appell. & c. si à iudice. 10. eod. tit. lib. 6. Ratio est, quia cum sit iudicandũ ex eisdem actis, sequitur,

quitur, locum habere reg. l. vbi cœptum, 30. D. de iud. nam continentia causę diuidi non debet, l. nulli, 10. C. de iud. docet Pontif. in c. 1. de cauf. poss. & prop. In secundo autem casu distinguendum est, aut enim nullitas allegatur in ipsa appellatione vt grauamen, quod in causa est, vt interponatur, atq; (vt ita loquar) proponitur ad iustificationem ipsius appellationis vt in specie c. exhibita 19. de iudicijs, & in c. significauit. 11. de exception. tùnc enim iudex appellationis erit iudex competens nullitatis; quia nullitas annexa, & inseparabilis est ab ipsa appellatione, cum in ea fundetur, debeatq; probari, vt appellatio firma sit, c. vt debitus, 59. de appellat. Aut nullitas non exprimitur in appellatione neq; ratione iniustitiæ, neq; ratione iustificationis, quo in casu appellationis iudex non potest de nullitate cognoscere, ex eo quòd nõ valeat, ius dicere de causis in appellatione non expressis, Clem. appellanti. 5. de appellation. Hoc tamen non procedit in appellatione à diffinitiua interposita, ex qua etiam nullitas ad iudicem appellationis deuoluitur, l. quædam mulier, 41. D. famill. ercisc. & l. Camelia Pia, fin. D. de iure patron. ibi, *Placuit nullã esse libertorũ diuisionem*. Discrimen consistit in eo, quia per appellationẽ ab interlocutoria tantũ deuoluitur grauamen expressum in prouocatione, & apud iudicẽ in reliquis iurisdictio remanet: per appellationẽ autẽ à diffinitiua tota ipsa causa deuoluitur, in qua penes iudicem à quo nulla est iurisdictio.

28 Vidimus, corã quo iudice sit de nullitate agendum,

vbi ante diffinitiuam proponatur; videamus modò, quid iuris sit, quandò quis de nullitate agere intendit post diffinitiuā, an sit proponenda coram eodem iudice, qui sententiam dixit, an verò coram alio.

Sunt, qui affirment coram eodem iudice causam nullitatis esse in iudicium deducendam. Primò, ex l. 1. C. de sentent. & interl. omn. iudic. considerando decessoris ac successoris vnum idemq; tribunal esse. Deindè, l. si præses. 6. C. quomodo & quādo iud. perpendendo factum sine curatore nullum esse. Tertiò loco l. si accusationibus. 4. C. de accus. vbi glos. final. Quartò loco nam causa nullitatis incidens est, ac per consequens coram eodem iudice discutienda, l. quoties, 3. C. de iudicijs. Vltimo ex l. fin. C. de sent. quæ sine certa quantitate, tenent. glos. verb. errorem, in c. loci, 35. q. 9. interpretes ad l. 4. C. de appellation. Abbas. ad hunc locum, num. 25. Menoch. de arbitrarijs q. 69. num. 2.

Negant alij Primò, ex l. qualem, 19. §. dicere, & l. quia 20. D. de arbitr. Deinde ex l. quod iussit 14. l. iudex. 55. D. de re iudic. Tertiò, l. si (vt proponis) 4. C. quom. & quan. iud. vbi glos. fin. Quartò, l. cum nō eo, 6. C. quando prou. non est necess. Quintò, l. si de proprietate, 3. C. si à non comp. iudi. Vltimò ex c. in litteris 9. de offic. & pot. iudic. de leg. semel enim ex scripto recitatam sententiam neq; corrigere, neq; mutare potest iudex, ita vt quod correxerit, vel mutauerit ipso iure nullum sit, vt Senec. in Declam. placuit, *iudex quam tulerit de reo tabellam reuocare non potest*.

test. Apul. 1. Flor. *tabella semel lecta nec augeri littera vna, nec minui potest*. scribentes ad d. c. in litteris, præcipuè Felin. nu. 1. Bald. ad d. l. si (vt proponis.)

Accurs. glos. fin. in ead. lege si (vt proponis) communi scribentium calculo receptus distinctionis fœdere totam ipsam rem ita componit, nempè vt prima opinio affirmantium sit accipienda in iudice ordinariam habente iurisdictionem, secunda verò negantium in iudice mandatum iurisdictionem exercente. Discriminis ratio in eo posita est, nam ordinarius habet iurisdictionem à se ipso (vt ita loquamur) de qua valet disponere, atq; ita latam contra leges sententiã pro sua iurisdictione poterit emendare in d. l. 1. cum alijs. ille autèm, cui mandata est iurisdictio, cum nihil proprium habeat, non est, cur iuris errorem nitatur corrigere, quia sententiæ prolatione totam à se abdicauit potestatem, neq; amplius iudex est, d. l. quod iussit, cum similibus.

Subdistinguũnt Salmantini inter habentem à Principe iurisdictionem mandatam, & ab inferiore; ita vt in illo idẽ iuris sit quòd in ordinario, in hoc verò procedat communis. Mouentur, quia talis iudex æquiparatur ordinario; Sed cum verè non sit, non video, qua ratione eorum iudicium queat substineri.

Neque ignoro aliquos esse, qui nulla adhibita distinctione existiment, iudicem, qui sententiam tulit, ipsam emendare posse, ductos ex regula non præstat impedimentũ, quod de iure non sortitur effectũ, sed bone Deus? quid ad rem, vt idem iudex corrigat.

A communi vsu forensi recepta non credo recedendum. Aduerto tamèn d. l. iudex, esse accipiendā de sententia lata non contra ius constitutionis, sed contra ius litigatoris, tunc enim dicitur iudex malè iudicasse, & contra merita causæ, non tamèn ipso iure sententiam nullam dixisse vt sup. nu. 5. ostendimus. idemq; sensus est d. l. quod iussit.

Consulerem tamèn litigatores, ne causam nullitatis coram eo iudice, qui sententiam dixit, proponerent, sed coram superiore vt in l. 1. §. 1. D. quæ sent. sine app. resc. l. absentem. 6. C. de accusation. c. Fraternitatis, 6. vers. nos autem, de frigid. & malef. Nec hoc consilium parui faciant, nam aut iudex ignorantia ductus aut præmio decepus errorem expressit; si ignorantia, difficilè emendauit, nihil enim difficilius est, se ipsum noscere, & ideò in phano illo litteris aureis sempiterna hæc recordatione digna sententia erat scripta, *Nosce te ipsum*. Si prᴂmio, auaritia captus est, quæ omnium malorum radix dicitur.

29. Vt vltima accedat manus interpretationi huius cap. videndum erit, intra quod tempus de nullitate sit agendum. Et in perpetuū agi posse, voluere nonnulli ea iuris regula, qua docemur, illa, quæ ab initio nulla sunt, temporis tractu non conualescere, l. quæ ab initio, 210. D. de reg. iur. c. non firmatur, 18. eod. tit. lib. 6. quam sententiā veram esse, præcipuè vbi ex defectu iurisdictionis de nullitate agitur, voluit Angel. in l. 1. C. quandò prouoc. non est necess. num. 3. ex defectu mandati Bald. in l. 1. C. de reb. alien. non

alien.

alien. num. 3. Vel si de nullitate agatur, vbi periculũ animæ vertitur, arg. c. vigilanti, 5. & c. fin. de præscript. notant interpretes ad c. fin. 35. q. 9.

Alij verò existimarunt, ius agendi de nullitate non esse perpetuum, sed temporale alia iuris regula, quæ habet, multa ab initio inutilia temporis tractu vires capere, pro qua multa allegantur iura à glos. 1. in c. non firmatur, vers. expressè cõtra. l. si quis tutor, 60. §. quid ergo, & l. eos, 65. D. de ritu nupt. l. & si. 6. C. de nuptijs, in quibus temporis tractu matrimonium conualescit, quod initio contrahi prohibebatur: atq; ita iudicis sententia temporis tractu conualidabitur, ita vt ius agendi contra eam spiret, vt temporarium.

Statuendũ credo in hoc articulo, ius agendi de nullitate triginta annorum spatio extingui, excipiendi verò perpetuum esse: Moueor, quia illud iudicium iudicis officio nobili experiri, clarum est, hoc autèm per triginta annos potest implorari, l. sicuti, 3. l. omnes. 4. C. de præscript. trig. vel quad. annor. ergo & nullitatis causa in iudicium deduci glos. vers. fin. in sum. 35. q. 9. ius vero excipiendi in perpetuum durat, quia temporalia ad agendum, sunt ad excipiendum perpetua l. pure. 5. §. non sicut, D. de doli mali & met. excep. l. si pactum. 6. C. de exception. singularum tamèn ciuitatum statutis tempus præfinitur, intra quod nulla sententia dici debet, quæ ad vnguem sunt obseruanda, cum summa nitantur ratione, vt aliquis nempè litium finis sit, quod iura maximè student. Loco tamèn coronidis animaduerto, prudentissimè in

concilio

concilio Viennensi à Clemente Quinto fuisse sancitum, vt calumnijs litigantium occurreretur, ne quis aduersus tres sententias conuenientes in petitorio, aut possessorio latas de nullitate agens audiatur, antequàm plenariè executioni mandentur, in Clem. 1. hoc tit. quemadmodum de restitutione in integrum, vbi dolosè opponitur, fuerat sancitum ab Innoc. tertio in c. suscitata 6. de in integ. rest. multoties enim ad impediendam executionem intenditur, sententiã nullam esse, cui damno, ac fraudi vt occurratur, stylo Romanæ Curiæ receptum est, vt ille, pro quo lata est sententia, obtineat rescriptum, quo tempus præfiniatur, intra quod nulla sit & dicenda, & probanda sententia. Quo autem pacto sit intelligenda l. quæ ab initio, consulite Petr. Fabr. & Iacob. Rœuard. in l. quod initio, 29. D. eod. tit. qui luculentissimos ad eã commentarios edidere. Et cum ijs, annuente Deo, fuit impositus finis interpretationibus huius Anni. CIƆ. IƆ. LXVII.

FINIS.



ELENCHVS IVRIVM, *quæ hisce interpretationibus exponuntur.*

EX DECRETO.

EX DECRETALIBVS.

EX LIBRO SEXTO.

EX CLEMENTINIS.

EX CONCIL. TRID.

INDEX

INDEX

Rerum, quæ in hisce interpretationibus continentur.

Aa Causa

Diffe-

Su-

FINIS.

ERRATA.

Rationæ, pag.2.lin.10. ratione. vel,pag.2. lin. vltima. an. tenerique, pag.15.lin.21.tenebitq; Lecin. pag.25. lin.10. Cecin. contingat, pag.36.lin.3. contra,del.p.38.lin.2.vel.Gui, p.38 lin.24.hui.dicessit pag.47.lin.21.discescit.dernimus, pag.78.lin.10. decernimus, emanarun pag.78.lin.16.emanarunt,cumprimat pag.88.lin.28.cõprimat,crimines pag.101.lin.5.crimine,resignandam,pag.111. lin. 12.resignandum,deponitur pag.136.lin.13.depromitur, nullp. pag. 161.lin.23. nullo.



